









POEMATUM
JANI LERNUTI, JANI GULIELMI, VALENTIS ACIDALI,

NOVA EDITIO.



LIGNICI
Impensis DAVIDIS ALBERTI
Bibliopolæ VratisL.

Annô cIↄ Iↄ CIII.



Nobilissimis excellenti doctrinâ & virtute Viris

D. JACOBO MONAVIO CONSILIARIO LIGIO-BREGENSI, &

D. DANIELI RINDFLEISCH BUCRETIO PHILOSOPHO ET MEDICO; *Patritiis Vratislaviensibus, Dominis & Patronis observandis*

CASPAR CONRADUS *Vratislaviensis*

S. D.

MAgna apud piam antiquitatem Poëtarum semper fuit existimatio, Viri Nobilissimi, magna reverentia atq; observantia. Præter hoc enim, qvód primæ Philosophiæ Magistri, & μουσῶν ὑποφῆται hinc inde nuncupantur; filii etiam Deorum, Deorum interpretes, Prophetæ, Patres sapientiæ, Virtutum genitores á Platone magno illo Philosophiæ sole perhibentur. Et non de nihilo. Fuerunt enim illi non solum eximiâ ingenii felicitate, sed variâ etiam atq; exqvisitâ doctrinâ instructissimi, atq; antesignani qvasi ad eruditionis & virtutis viam. Unde Græci filios suos potissimum Poëtis erudiendos tradiderunt, solos nimirum illos sapientes judicantes: Nec infeliciter qvidem, si eidem Platoni credimus, qvi Poëtas divino qvodam furore

concitatos multum commodi Græcis hominibus attulisse, in Phœdro suo attestatur. Atq; obscurum sané hoc esse potest minimé, vel solum Homerum intuenti. Illum enim ante omnes alios Græci tanti fecerunt, ut non tantum filiis suis á primâ statim ætate instillari voluerint; sed ipsi etiam ex eodem, tanqvam ex locupletissimo penu omnem eruditionis, consilii ac virtutis thesaurum hauserint, eodem se oblectarint, ex eodem disputarint, & totam vitam suam, sive privatam illam, sive publicam agerent, exornarint. Ac Homeri qvidem carmina primúm dissperfa,& seorsim hinc inde decantata, singulari qvodam studio conqvisivit Rex ille atq; Legislator Spartanorum eximius Lycurgus,atq; ex Ioniâ in omnem Græciam intulit. Hunc deinceps simili fervore subsecutus Pisistratus Atheniensium tyrannus, illa, tanqvam navis fractæ disjectas tabulas,collegit,& in duas partes, Iliada nempe atq; Odysseam digessit. Hipparchus deniq;, Pisistrati filiorum natu maximus, cujus eximiæ virtutes & sapientia inprimis atq; studium,non tantum erga literas,sed patriam etiam summis laudibus celebratur, omnem Homerum Athenas attulit,atqve ut á Rhapsodis,qvos vocabant,solemnibus Atheniensium comitiis caneretur,instituit. Qvid? qvód eumdem Aristoteles Peripatheticæ Philosophiæ Coryphæus, summo & judicio & consilio Alexandro illi Magno prælegit, atq; profundissimé in animum ipsius instillavit : qvod vel ipse Alexander reipsâ comprobatum fecit, dum Iliada Homericam militaris scientiæ viaticum indigitatam, é manibus nunqvam deposuit, sed dormiens etiam in castris cum gladio sub cervicali custodivit : imó dignissimam

mam

mam qvoq; censuit, qvæ arculæ illi aureæ inter Darii thesauros repertæ crederetur. Sed nec hoc novum, esse Odysseam humanæ vitæ speculum, ut pote ex qvâ omnis illa non solum cognoscatur; sed qvomodo instituenda, qvæ eligenda, qvæ omittenda, intelligatur. Auctoritatem etiam Homero non parum auget septem illarum Græciæ civitatum de patriâ ipsius certamen, qvando nempe Civem suum volunt

Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Ios, Argos Athenæ.

At veró qvorsum ista de laudibus Homeri tam copiosa venditatio? nisi eó inprimis, ut qvæ de Principe Poëtarum recté, veréqve heic dicuntur, eadem etiam de reliqvis Græciæ Poëtis jure dicantur merito, & ad seram usq; posteritatem transferantur. Neq; prætereunda heic silentio summa etiam veneratio, qvam Romani Poëtis exhibuerunt. Augustus Virgilium nónne amavit? nónne cum Augusto Mæcenas Horatium? nónne Martialem Elius Verus? Populus Romanus auditis in theatro versibus Virgilii surrexit universus: ipsum veró præsentem veneratus est velut Augustum. Cicero, si Donato credimus, cúm á Cantoribus versus qvosdam ex Eclogis Virgilii recitari audiret, & statim acri judicio intelligeret, non communi venâ editos, totam Eclogam ab initio recitari jussit, atq; accuratius illam observans, in hæc tandem verba erupit;

Magnæ spes altera Romæ.

Significare nimirum voluit Eloqventiæ Pater, ipse ut Latinæ lingvæ spes prima fuisset, ita secundam futurum Virgilium. Idem Cicero in oratione pro

 Archia

Archia Præceptore, de Poëtis generalius differens, accepisse se dicit á summis viris, ceterarum rerum studia, doctrinâ, præceptis & arte constare; solum veró Poëtam naturâ ipsâ valere, & mentis viribus excitatum divino qvodam Spiritu inflammari. Atq; hac ratione Ennium sanctos Poetas adpellasse credo, qvód qvodam qvasi Deorum numine commendati nobis viderentur. Qvod ipsum ipse etiam Ovidius adfirmat lib. 1. Fastor. dum sic inqvit:

Est Deus in nobis, agitante calescimus ipso:
Sedibus ætheriis Spiritus ille venit.

Majestas hæc etiam Poëtarum est eximia, qvando Fabius summis Oratoribus credendum esse ait, qvi veterum poëmata vel ad fidem caussarum, vel ad eloqventiæ ornamentum adsumunt. Taceo interim, non Philosophos tantum ethnicos Poëtarum versibus crebró olim usos fuisse: sed religiosissimos etiam iisdem uti neqvaqvam erubuisse. Divus Paulus electum illud Dei omnipotentis organon, cujus penes nos auctoritas omni exceptione major esse debet, libros Poëtarum & evolvit, & ad ædificationem ac correctionem aliorum, testimonia ex illis desumsit luculenta. Sic Athenienses de Deo ignoto erudiens Aratum vetustissimum Poetam citat. Sic ex Menandro consortia malorum fugienda monet. Sic Cretensium mores ex Epimenide vivo colore depingit. Gregorius Nazianzenus ob excellentiam Theologus dictus, scriptis Poëtarum mire & delectatus est, & ipse etiam sacrorum carminum volumen posteritati reliqvit, qvod non modó priscis temporibus pueris propositum est, sed hodie qvoq; á doctissimis qvibusqve

busqve in deliciis habetur. Joannes Chryſoſtomus Patriarcha Conſtantinopolitanus, qvi ſub Arcadio & Honorio Imperatoribus claruit, Ariſtophanis Comœdiis noctu etiam pro pulvino uſus legitur. Euſtathius Theſſalonicenſis in Homerum doctiſſimos commentarios ſcripſit, qvi etiam adhuc hodie exſtant. D. Baſilius Cæſarienſis, cui virtutum ſplendor Magni cognomen peperit peculiari oratione adoleſcentes ex gentilium ſcriptis, ac Poëtarum inprimis, multúm proficere & poſſe & debere docet: utpote qvod ſvavitas illa verborum lectores & magis adficiat, delectetq;, & altius animis inhæreant, qvæ rhythmis incluſa. Clemens Alexandrinus & Euſebius viri religioſiſſimi in difficilimis etiam de Deo qvæſtionibus illuſtrandis confirmandisq; Poetarum gnomas adhibuerunt. Sed longúm foret, ſi omnia omnium qvi in Eccleſia floruerunt, de Poetis & Poeticâ, qvam [illegible] [illegible] Phœnix ille Germaniæ, florem & theſaurum eruditionis, magiſtram vitæ, lingvæ formatricem nuncupavit, vellem percenſere judicia.

Inter alia autem omnia, qvæ de Poetarum laudibus magnifica dicuntur, illud mihi videtur vel maximum, qvód Fautoribus ſuis nominis immortalitalitatem largiri perhibentur, edito in lucem & conſecrato illis aliqvo poemate, qvod longé lateq; in omnes mundi partes diffuſum ipſorum elogia tamqvam tubæ cantu perſonat, ut ita & vivi gloriâ ſuâ perfruantur, & cúm é vitâ diſceſſerût, magis magisq; in Orbe vigeant traditi hominum memoriæ ſempiternæ. Hi veró ut ſunt præcones virtutum eximii, & rerum præclaré geſtarum teſtes locupletiſſimi: ita econtra-

rió acerrimi ſunt vitiorum reprehenſores, & Nemeſi qvadam ſingulari manifeſtis ſceleribus pollutos exagitare norunt. Qvapropter Plato in Minôe eos, qvibus exiſtimatio ſua curæ eſt, in ullius odium offenſionemq; Poëtæ incurrere vetat. Claudius Nero qvamqvam alioqvin omni diritate atq; immanitate dirior; ab irritandis tamen Poëtarum ingeniis, ut á Svetonio traditum eſt, ſeduló temperavit. C. Cæſar beneficiis potius cum Q. Valerio Catullo, qvám odiis certare voluit, qvamvis, ut idem Svetonius atteſtatur, verſibus ejus maledicé atq; contumelioſé ſcripti notatum ſe maculis ſciret, qvas numqvam elueret. Sed qvemadmodum olim Poëtas erga dignitas atq; obſervantia Majorum fuit magna: ita nunc temporis in effœtâ iſtâ fatiſcentis mundi ſenectâ, cúm omnium liberalium artium ac diſciplinarum, tum Poëticæ inprimis contemptus eſt longé maximus, adeó ut, Poëtam ſi dixeris, hominem ab omni literaturâ alienum, aut malâ etiam actum intemperie intelligant; vitio neſcio an Poëtarum, an veró reliqvorum potius. Sané negare non poſſumus, divinitatis poëticæ tantum nunc eſſe abuſum, tantam irreverentiam, ut etiam, qvi vix, qvid verſus ſit, aut qvot pedibus conſtet; nec qvid Poëta ſit, vel unde nomen acceperit, intelligunt, Poëtæ tamen nomen non adfectent ſaltim, ſed redimant etiam levi aut pecuniolâ aut cœnulâ: id qvod ſatis ſuperqve ex doctiſſimâ doctiſſimi Taubmani diſſertatione Vitebergæ habitâ adparet; qvi ſtomachabundus qvaſi cavillo & convitio propé, ut ipſius verbis utar, petitus ſibi videtur, ſi qvis é vulgo iſto Poëtam eum nominet; Poëtarum alioqvin extra omnium invidiam facilimé nunc tem

poris

poris Poëta. Sed & vitio vel inprimis reliqvorum dia poësis patitur. Dum enim illi nullâ aut laudis aut gloriæ cupiditate ducuntur; sed vel qvæstui, vel deterioribus qvibusq; studiis addicti: sive ocio vacantes ac luxuriæ laudanda facere desierunt, tantum abest, ut elogia Poëtarum exspectent, ut metuant potius vitæ suæ turpiter actæ ad longam posteritatem transscriptiones, atq; ideó odio eos prosеqvantur plusqvam Vatiniano. Imó cum qvibusdam ita comparatum est, ut CARNEM potius á miseris poëtis velint, qvám CARMEN: qvales in Areteugeniâ suâ egregié describit Cramerus, vir ob singulare ingenii acumen omnium amore dignissimus. Verum-enim-veró pluribus hanc temporum & morum perversitaté ut improbem heiceg o, & supervacaneum mihi videtur, & ab ingenio meo longé alienum. Miror tamen in tanto divinæ poëseos contemptu tot adhuc reperiri excellentia ingenia, qvæ artem istam non modó venerantur atq; extollunt, sed ita etiam excolunt atq; exercent, ut dexteritate judicii, ingeniiq; solertiâ veterum gravitatem, dulcedinem atq; elegantiam si non superent, æqvent tamen, aut qvám proximé accedant. Qvis enim non novit magnum illum Musageten Julium Cæsarem Scaligerum? ad cujus aures non pervenit elegantia, svavitas atq; inimitabilis facilitas [illegible]? Qvem non delectent Mele illa dulcissima Melissi? ut interim nihil dicam de Douzis Patre & filio, Josepho Scaligero, Grutero, Reusnero, Majore, Bersmanno, Laubano, atq; aliis, qvorum reconditas ingenii dotes posteritas nescio an mirabitur aliqvando, an veró stupebit potius. Sed ut ad illos tamdem deveniam, qvorum

rum caussa hæc qvalisqvalis mea sermocinatio præcipuè suscepta, JANUM nempe LERNUTIUM Belgam, JANUM GULIELMIUM Lubecensem, & VALENTEM ACIDALIUM Wistochiensem, qvorum doctissima poëmata vestro, Viri excellentes, instinctu, vestrâ persvasione atq; operâ, hinc inde collecta uno in hoc fasciculo nunc edo, fateor ego ingenuè, me in enarrandis ipsorum elogiis, utpote qvi sibi ipsi elogia, omninó mihi non modó non sufficere, sed vereri potius, ne ipsorum auctoritatem apud summos alioqvin summam, ingenii mei tenuitate, verborumq; inconcinno nexu deformem magis atq; imminuam, qvám augeam atq; extollam, qvi ipsi alioqvin inter reliqvos non nostri tantum, verúm vetustioris etiam seculi poëtas fulgebunt, veluti inter stellas minores maximũ illud atq; lucidissimum solis corpus; & qvorum canor longé melior ac svavior, qvam gruum

Clamor in ætheriis dispersus sedibus Austri.

Tu Clarissime Monavi, cujus celebritas utramq; solis domum jamdudum occupavit; Tu, inqvam, ingeniorum censor acutissime jure diceres merito Trigæ hujus laudabiles laudes nulli alioqvin satis laudandas, nisi familiarior consvetudo, atq; amicitia conjunctior, amori potius te indulsisse, qvám veris rationibus ipsorum famam confirmasse, suspicari alios fortassis faceret. Sed & tu, Nobilissime Bucreti, antiqvissimæ Rindfleischiorum familiæ in florentissimâ Vratislaviensium Repub, imó ipsius etiam Reipub. ornamentum nunc temporis eximium, potissimum diceres, nisi, qvæ summa est tua humanitas, modestia, atq; animus á superbiore jactantiâ alienissimus

mus, vereeris, ne tuas potius, qvám ipsorum laudes quæsiisse viderere. Pro vobis igitur, pro vobis, inqvã, imó pro me etiam interim hoc ágat magnũ illud Eloqventiæ latinæ flumen Lipsius, qvi hos ipsos non tantum ab interiore amicitiâ, sed á mirâ etiam ingeniorum felicitate & pernovit & commendavit in suis hinc inde scriptis. Ac de Lernutio qvidem, qvis vir fuerit, testantur plurimæ ipsius Lipsii epistolæ. Gulielmium qvanti fecerit, adparet ex ejusdem Lipsii Elector. cap. 16. post præfationem heic adjuncto. De Acidalio qvid senserit, peculiaris etiam ejus epistola sub finem heic addita docebit. Sed & Lectori non immeritò suum heic relinqvitur judicium, qvi plura fortassis, qvám ipse aut sperabit, aut ego promittere valeam, habebit : modó ille hanc qvalem qvalem operam sibi in editione istâ ab homine poëtices amantissimo præstitam boni consulat, & vitio non vertat, qvód alienis potius, qvám meis in lucem prodire voluerim; non, ut mihi hinc aliqvid gloriolæ arripiam; sed ut optimorum istorum Vatum scripta optima ab interitu qvasi vindicem, atq; memoriæ si non æternæ, longæ tamen reservem. Si tame[illegible] qvod minimé qværo, hinc laudis aliqvid ad m[illegible]anabit, sanctum illud cúm beatis Trigæ istius [illegible]ianibus, tum vobis, Viri Clarissimi, qvi mihi ad editionem istam non auctores saltim, sed adjutores qvoqve exstitistis, vovebo. Atq; adeó, qvando pleraq; á vobis accepi, non immeritó sub ve[illegible] stri nominis auspicio adparere in publico tam volo, qvã debeo. Recipite igitur Viri nobiles, á vobis anteá acceptos, alio tamen vestitu ornatos hosce tres poëtas vestros, & cúm illos, tum me etiam adversus malevolorum,

rum caussa hæc qvalisqvalis mea sermocinatio præcipué suscepta, JANUM nempe LERNUTIUM Belgam, JANUM GULIELMIUM Lubecensem, & VALENTEM ACIDALIUM Wistochiensem,qvorum doctissima poëmata vestro, Viri excellentes, instinctu, vestrâ persvasione atq; operâ, hinc inde collecta uno in hoc fasciculo nunc edo, fateor ego ingenué, me in enarrandis ipsorum elogiis, utpote qvi sibi ipsi elogia, omninó mihi non modó non sufficere, sed vereri potius,ne ipsorum auctoritatem apud summos alioqvin summam, ingenii mei tenuitate, verborumq; inconcinno nexu deformem magis atq; imminuam, qvám augeam atq; extollam, qvi ipsi alioqvin inter reliqvos non nostri tantum, verúm vetustioris etiam seculi poëtas fulgebunt, veluti inter stellas minores maximũ illud atq; lucidissimum solis corpus;& qvorum canor longé melior ac svavior, qvam gruum

Clamor in ætheriis dispersus sedibus Austri.

Tu Clarissime Monavi, cujus celebritas utramq; solis domum jamdudum occupavit; Tu, inqvam,ingeniorum censor acutissime jure diceres merito Trigæ hujus laudabiles laudes nulli alioqvin satis laudandas, nisi familiarior consvetudo, atq; amicitia conjunctior, amori potius te indulsisse, qvám veris rationibus ipsorum famam confirmasse, suspicari alios fortassis faceret. Sed & tu, Nobilissime Bucreti, antiqvissimæ Rindfleischiorum familiæ in florentissimâ Vratislaviensium Repub, imó ipsius etiam Reipub. ornamentum nunc temporis eximium,potissimum diceres, nisi, qvæ summa est tua humanitas, modestia,atq; animus á superbiore jactantiâ alienissimus

mus, verereris, ne tuas potius, qvám ipsorum laudes quæsiisse viderere. Pro vobis igitur, pro vobis, inqvã, imó pro me etiam interim hoc ágat magnũ illud Eloqventiæ latinæ flumen Lipsius, qvi hos ipsos non tantùm ab interiore amicitiâ, sed á mirâ etiam ingeniorum felicitate & pernovit & commendavit in suis hinc inde scriptis. Ac de Lernutio qvidem, qvis vir fuerit, testantur plurimæ ipsius Lipsii epistolæ. Gulielmium qvanti fecerit, adparet ex ejusdem Lipsii Elector. cap. 16. post præfationem heic adjuncto. De Acidalio qvid senserit, peculiaris etiam ejus epistola sub finem heic addita docebit. Sed & Lectori non immeritò suum heic relinqvitur judicium, qvi plura fortassis, qvám ipse aut sperabit, aut ego promittere valeam, habebit: modó ille hanc qvalem qvalem operam sibi in editione istâ ab homine poëtices amantissimo præstitam boni consulat, & vitio non vertat, qvód alienis potius, qvám meis in lucem prodire voluerim; non, ut mihi hinc aliqvid gloriolæ arripiam; sed ut optimorum istorum Vatum scripta optima ab interitu qvasi vindicem, atq; memoriæ si non æternæ, longæ tamen reservem. Si tamen qvod minimé qværo, hinc laudis aliqvid ad me manabit, sanctum illud cúm beatis Trigæ istius manibus, tum vobis, Viri Clarissimi, qvi mihi ad editionem istam non auctores saltim, sed adjutores qvoqve exstitistis, vovebo. Atq; adeó, qvando pleraq; á vobis accepi, non immeritó sub vestri nominis auspicio adparere in publico tam volo, qvã debeo. Recipite igitur Viri nobiles, á vobis anteá acceptos, alio tamen vestitu ornatos hosce tres poëtas vestros, & cúm illos, tum me etiam adversus ma-

levolorum,

levolorum, si qvi erunt, insultus atq; morsiunculas defendite. Inprimis veró amanter vos rogatos volo, ut non tantum eâ me erga adfectione, qvâ hactenus fuistis propensissimâ, pergatis; sed etiam, si excellentissimus Gruterus (qvod tamen minimé vereor) ægré fortassis ferret, Manes Gulielmianos hoc opere uná etiam editos, non prius impetratâ ipsius veniâ, pro amore vestro, qvem cum ipso dudum fovistis, leniatis, me ipsi commendetis, atq; Faventiam ipsius, qvam exopto unicé, concilietis. Sed nec doctissimum Christianum Acidalium hac Epigrammatum Germani sui reiteratâ atq; auctâ publicatione qvidqvam offensum iri, omninó spero; præcipué cum norim, esse illa tui, Amantissime Bucreti, juris, vel ex ipsâ Valentis totali sanctione : imó rogatum ipsum publicé heic volo, ut qvæ secum Fratris residua habet, aut nobiscum communicet, aut publici usus ipse faciat. Qvod restat, DEUM OPT. MAX. oro, ut vobis & rebus vestris adsit, vestra omnia gubernet, foveat, fortunet; ac te, Clarissime Monavi, qvi nomine Luna, re veró Sol es non tantúm Patriæ nostræ, sed totius pené Europæ, Solem; Te veró, Bucreti, ut sangvine, ita & lumine huic adfinem, Lunam esse atq; diurnare feliciter ad longa usq; secula cum tuis omnibus faciat. Bene valete viri optimi, atq; optimis qvibusqve carissimi, ac Conrado vestro favere ne desinite, Preslaviæ. VIII. Eid. Majas, qvo die Ecclesia juxta Gregorianum Calendarium celebravit triumphantis Christi ad cœlos adscensionem. Anno factæ salutis humanæ cIↃ IↃ cIII.

JANI

JANI GULIELMI PRÆCEPS obitus, ejus defletio & laus ex Justi LipsI

2. Lib. Electorum c. 16.

ITa vivam ipſe & valeam, ut peracerba nuper mihi accidit Jani Gulielmi mors, ſive potius raptus. Subita enim fuit: & vix Biturigas venerat, cum febris eum occupavit, & in paucis diebus extremus ille dies. Sané amabam adoleſcentem inſigni indole, magnâ ſpe: nec facilé ingenium videram (juvenile qvidem) magis mihi ad guſtum. Libelli judicio meo teſtes. qvos in Critico iſto genere paucos edidit; ſed probos doctosqve, & qvos haut temeré Invidiæ dens atteret aut lima labentis ævi. Sed peracerba mihi tamen hæc mors, non nova. Qvæ enim alia vitæ lex? Ut lignum uri natum eſt, ariſta ſecari: ſic homines mori. Ite mei juvenes, & animis fidite aut annis. una nempe morbi aura eſt, qvæ adurit & exſtingvit hunc omnem vitæ florem. Qvin ut venti, cúm vehementiſſimé perflant, ponunt feré & deſinunt: ſic mortales, cúm grandia maximé ſpirant & ſperant. Ego ipſe, qvi iſta loqvor, qvam diu heic ſum? Fallor: aut ſtrictum jam in me qvoq; fatale hoc ferrum, & ſeqvor te mí Gulielmi, imó calcem premo calce. Ita lentus difficilisqve morbus hic ſvadet: qvi ut hedera qvædam ſerpens, implicat & enecat me longo tractu. Sed hoc qvidem fiet cum Deo meo viſum: intereá judicii mei de te & amoris monumentum hoc poſitum eſto. non æternum, ſcio, (ſtulti qvi ab his ſcriptis id ſperant) ſed longævum fortaſſe: ſi tamen, ut cúm Pindaro dicam,

Cum fatali qvodam auxilio Eximium Gratiarum decerpo Hortum.

—— σὺν τινι μοιριδίῳ παλάμᾳ ἐξαίρετον Χαρίτων νέμομαι κᾶπον.

Cui monumento carmen etiam tuum insculpo, certum & elegantissimi ingenii symbolum, & in me puri adfectus. (V. *infra pag.* 82.)

Justus Lipsius Valenti Acidalio S. D.

TU veró qvid facis, mi Acidali? Amicitiam meam ambis? abi, abi, frustrá: qvid ita? jam diu habes. Testor Kalendas hujus anni auspices, & ita mihi felix ille eat, ut te amavi, cúm primúm fœtum illum ingenii tui vidi, Vellejanas Notas. Leviculas, inqvis. Audacter dicito, & in hac modestiâ consta. O ornamentum juventutis pudor: seges veræ gloriæ & doctrinæ! Alii, inqvam, omnes melius de te, qvám tu, sentiant: & sic parva tibi videantur, qvæ feceris, ut majora cottidié possis. Vix autem faciet, qvi facere se jam putat. Sed ad amorem. in clausulâ illius libelli tui, qvám veri & vivi ignes? sensi, tetigi, & me qvoq; jam tunc accenderunt. Qvid nunc, cúm ventilas eos velut flabro svavissimarum epistolarum? uno veroq; verbo, Amo: & velut ad aras tibi, cum Poeta, spondeo:

Tui haud capiet me oblivio, qvam diu in vivis fuero & mea cara hæc membra movebo.

—σέθεν οὐκ ἐπιλήσομαι, ὄφρ᾽ ἂν ἔγωγε
ζωοῖσιν μετέω, καί μοι φίλα γούνατ᾽
ὀρώρει,

Certé,

Certè, naturâ ipsâ duce, amo ingenia, qvæ rectiora video, & ire ab bonam famam. Janum Gulielmium, popularem tuum, qvanti fecerim, ipse scivit, atq; etiam posteri, si vita aut gratia meis scriptis. Tu succede, qvoniam Deus illum eripuit, optimum ævo pessimo, & constituit in felici illâ sede. Nos qvoq; (an aliqvid vaticinabor?) brevi illuc imus, ut valetudo hæc dictat, vacillans, tenuis: tu vive nostri memor, & vale. Lovanii, Kal. qvas dixi anni CIↃ IↃ XCIII.

LECTORI BENIVOLO.

TRriga Poëtarum prius edita junctim opere uno;
Catullus, & Tibullus, & Propertius.
Triga Poëtarum nunc junctim opere edita item uno
Lernutius, Gulielmus, & Acidalius. (est;
Per Charites! Charites ut in illâ, ita in istâ etiã sũt;
Suæq; sunt & huic & illi elegantiæ.
Trinum ô perfectum! Trino ô hoc utere bino,
Qvicumqve trinis vis placere Charitibus!

CASP. CONRADUS
VratisL.

Jani

Lernuti

Ocelli.

Elegiæ.

Odæ.

Epigrammata.






AD JANI LERNUTI MANES.

LErnutI Manes, Vos ô ſanctiſſima Phæbi
Numina, LernutI nomine qvæ cluitis!
Parcite, ſi ſuperas operâ hac vos lucis in auras,
LernutI ipſo, inqvam, veſtri opere hoc, revoco.
Qvêi patiatur enim genere aut genio edita Phæbi
Ille Deûm atqve hominum diſperiiſſe Pater?
Phæbi erat hic genus; aut genius Phæbi ipſius ipſe;
Iſte ita in illo; & in iſto ille erat arte potens.
In Phæbi ergo viget LernutI Numine nomen:
Phæbi &, in hujus ovat nomine, Numen item.
Dum vivet Phæbus, vivet Lernutius idem:
Non potis eſt Genio Phæbus obiſſe ſuo.

CASP. CONRADUS
VratisL.

IANI LERNUTII
OCELLI.
CARM. I.



Vis sese ocellis insinuans tuis
Divûm receptus hos amat? & manu
Cessante & arcu, crebra nigris
Tela superciliis coruscat?
Sacrata virtus Numinis, heu qvibus
Ducta illecebris, atq; sui immemor
Consedit istic? an procacem
Esse Iovem rear, & relicta
Junone rursus neqvitias dolis
Moliri opertas, præpetis ut sui
Cùm tectus involucro ephebum
Sustulit Iliadem? an puellum
Catum decoræ Cypridis; ac faces
Hinc spargere acres, spiculáqve improbo
Vibranda cornu, nunc venenis
Tingvere, nunc variare melle?
Vultus ita olim Dardanios prece
Motus Parentis sumpsit, & abdita
Divinitate Elissam amicum
Fratris in arbitrium coëgit.
Quid qvisqve credat, disspiciat: sacris
Hæc fixa myrti carmina ramulis,
Amorem ocellis ferre Hyellam
Credere me populis loquantur.

rió acerrimi sunt vitiorum reprehensores, & Nemesi qvadam singulari manifestis sceleribus pollutos exagitare norunt. Qvapropter Plato in Minôe eos, qvibus existimatio sua curæ est, in ullius odium offensionemq; Poëtæ incurrere vetat. Claudius Nero qvamqvam alioqvin omni diritate atq; immanitate dirior; ab irritandis tamen Poëtarum ingeniis, ut á Svetonio traditum est, seduló temperavit. C. Cæsar beneficiis potius cum Q. Valerio Catullo, qvám odiis certare voluit, qvamvis, ut idem Svetonius attestatur, versibus ejus maledicé atq; contumeliosé scriptis notatum se maculis sciret, qvas numqvam elueret. Sed qvemadmodum olim Poëtas erga dignitas atq; observantia Majorum fuit magna: ita nunc temporis in effœtâ istâ fatiscentis mundi senectâ, cúm omnium liberalium artium ac disciplinarum, tum Poëticæ inprimis contemptus est longé maximus, adeó ut, Poëtam si dixeris, hominem ab omni literaturâ alienum, aut malâ etiam actum intemperie intelligant; vitio nescio an Poëtarum, an veró reliqvorum potius. Sané negare non possumus, divinitatis poëticæ tantum nunc esse abusum, tantam irreverentiam, ut etiam, qvi vix, qvid versus sit, aut qvot pedibus constet; nec qvid Poëta sit, vel unde nomen acceperit, intelligunt, Poëtæ tamen nomen non adfectent saltim, sed redimant etiam levi aut pecuniolâ aut cœnulâ : id qvod satis superqve ex doctissimâ doctissimi Taubmani dissertatione Vitebergæ habitâ adparet; qvi stomachabundus qvasi cavillo & convitio propé, ut ipsius verbis utar, petitus sibi videtur, si qvis é vulgo isto Poëtam eum nominet; Poëtarum alioqvin extra omnium invidiam facilimé nunc temporis

poris Poëta. Sed & vitio vel inprimis reliqvorum dia poësis patitur. Dum enim illi nullâ aut laudis aut gloriæ cupiditate ducuntur; sed vel qvæstui, vel deterioribus qvibusq; studiis addicti: sive ocio vacantes ac luxuriæ laudanda facere desierunt, tantum abest, ut elogia Poëtarum exspectent, ut metuant potius vitæ suæ turpiter actæ ad longam posteritatem transscriptiones, atq; ideó odio eos proseqvantur plusqvam Vatiniano. Imó cum qvibusdam ita comparatum est, ut CARNEM potius á miseris poëtis velint, qvám CARMEN: qvales in Areteugeniâ suâ egregié describit Cramerus, vir ob singulare ingenii acumen omnium amore dignissimus. Verum-enim-veró pluribus hanc temporum & morum perversitaté ut improbem heiceg o, & supervacaneum mihi videtur, & ab ingenio meo longé alienum. Miror tamen in tanto divinæ poëseos contemptu tot adhuc reperiri excellentia ingenia, qvæ artem istam non modó venerantur atq; extollunt, sed ita etiam excolunt atq; exercent, ut dexteritate judicii, ingeniiq; solertiâ veterum gravitatem, dulcedinem atq; elegantiam si non superent, æqvent tamen, aut qvám proximé accedant. Qvis enim non novit magnum illum Musageten Julium Cæsarem Scaligerum? ad cujus aures non pervenit elegantia, svavitas atq; inimitabilis facilitas [illegible]? Qvem non delectent Mele illa dulcissima Melissi? ut interim nihil dicam de Douzis Patre & filio, Josepho Scaligero, Grutero, Reusnero, Majore, Bersmanno, Laubano, atq; aliis, qvorum reconditas ingenii dotes posteritas nescio an mirabitur aliqvando, an veró stupebit potius. Sed ut ad illos tamdem deveniam, qvo-

rum caussa hæc qvalisqvalis mea sermocinatio præcipué suscepta, JANUM nempe LERNUTIUM Belgam, JANUM GULIELMIUM Lubecensem, & VALENTEM ACIDALIUM Wistochiensem, qvorum doctissima poëmata vestro, Viri excellentes, instinctu, vestrâ persvasione atq; operâ, hinc inde collecta uno in hoc fasciculo nunc edo, fateor ego ingenué, me in enarrandis ipsorum elogiis, utpote qvi sibi ipsi elogia, omninó mihi non modó non sufficere, sed vereri potius, ne ipsorum auctoritatem apud summos alioqvin summam, ingenii mei tenuitate, verborumq; inconcinno nexu deformem magis atq; imminuam, qvám augeam atq; extollam, qvi ipsi alioqvin inter reliqvos non nostri tantum, verúm vetustioris etiam seculi poëtas fulgebunt, veluti inter stellas minores maximũ illud atq; lucidissimum solis corpus; & qvorum canor longé melior ac svavior, qvam gruum

Clamor in ætheriis dispersus sedibus Austri.

Tu Clarissime Monavi, cujus celebritas utramq; solis domum jamdudum occupavit; Tu, inqvam, ingeniorum censor acutissime jure diceres merito Trigæ hujus laudabiles laudes nulli alioqvin satis laudandas, nisi familiarior consvetudo, atq; amicitia conjunctior, amori potius te indulsisse, qvám veris rationibus ipsorum famam confirmasse, suspicari alios fortassis faceret. Sed & tu, Nobilissime Bucreti, antiqvissimæ Rindfleischiorum familiæ in florentissimâ Vratislaviensium Repub, imó ipsius etiam Reipub. ornamentum nunc temporis eximium, potissimum diceres, nisi, qvæ summa est tua humanitas, modestia, atq; animus á superbiore jactantiâ alienissimus

mus, verereris, ne tuas potius, qvám ipsorum laudes quæsiisse viderere. Pro vobis igitur, pro vobis, inqvã, imó pro me etiam interim hoc ágat magnũ illud Eloqventiæ latinæ flumen Lipsius, qvi hos ipsos non tantùm ab interiore amicitiâ, sed á mirâ etiam ingeniorum felicitate & pernovit & commendavit in suis hinc inde scriptis. Ac de Lernutio qvidem, qvis vir fuerit, testantur plurimæ ipsius Lipsii epistolæ. Gulielmium qvanti fecerit, adparet ex ejusdem Lipsii Elector. cap. 16. post præfationem heic adjuncto. De Acidalio qvid senserit, peculiaris etiam ejus epistola sub finem heic addita docebit. Sed & Lectori non immeritò suum heic relinqvitur judicium, qvi plura fortassis, qvám ipse aut sperabit, aut ego promittere valeam, habebit : modó ille hanc qvalem qvalem operam sibi in editione istâ ab homine poëtices amantissimo præstitam boni consulat, & vitio non vertat, qvód alienis potius, qvám meis in lucem prodire voluerim; non, ut mihi hinc aliqvid gloriolæ arripiam; sed ut optimorum istorum Vatum scripta optima ab interitu qvasi vindicem, atq; memoriæ si non æternæ, longæ tamen reservem. Si tamen qvod minimé qværo, hinc laudis aliqvid ad me manabit, sanctum illud cúm beatis Trigæ istius manibus, tum vobis, Viri Clarissimi, qvi mihi ad editionem istam non auctores saltim, sed adjutores qvoqve exstitistis, vovebo. Atq; adeó, qvando pleraq; á vobis accepi, non immeritó sub vestri nominis auspicio adparere in publico tam volo, qvã debeo. Recipite igitur Viri nobiles, á vobis anteá acceptos, alio tamen vestitu ornatos hosce tres poëtas vestros, & cúm illos, tum me etiam adversus ma-

levolorum,

levolorum, si qvi erunt, insultus atq; morsiunculas defendite. Inprimis veró amanter vos rogatos volo, ut non tantum eâ me erga adfectione, qvâ hactenus fuistis propensissimâ, pergatis; sed etiam, si excellentissimus Gruterus (qvod tamen minimé vereor) ægré fortassis ferret, Manes Gulielmianos hoc opere uná etiam editos, non prius impetratâ ipsius veniâ, pro amore vestro, qvem cum ipso dudum fovistis, leniatis, me ipsi commendetis, atq; Faventiam ipsius, qvam exopto unicé, concilietis. Sed nec doctissimum Christianum Acidalium hac Epigrammatum Germani sui reiteratâ atq; auctâ publicatione qvidqvam offensum iri, omninó spero; præcipué cum norim, esse illa tui, Amantissime Bucreti, juris, vel ex ipsâ Valentis totali sanctione: imó rogatum ipsum publicé heic volo, ut qvæ secum Fratris residua habet, aut nobiscum communicet, aut publici usus ipse faciat. Qvod restat, DEUM OPT. MAX. oro, ut vobis & rebus vestris adsit, vestra omnia gubernet, foveat, fortunet; ac te, Clarissime Monavi, qvi nomine Luna, re veró Sol es non tantúm Patriæ nostræ, sed totius pené Europæ, Solem; Te veró, Bucreti, ut sangvine, ita & lumine huic adfinem, Lunam esse atq; diurnare feliciter ad longa usq; secula cum tuis omnibus faciat. Bene valete viri optimi, atq; optimis qvibusqve carissimi, ac Conrado vestro favere ne desinite, Preslaviæ. VIII. Eid. Majas, qvo die Ecclesia juxta Gregorianum Calendarium celebravit triumphantis Christi ad cœlos adscensionem. Anno factæ salutis humanæ cIↄIↄcIII.

JANI

Jani Gulielmi Præceps obitus, ejus defletio & laus ex Justi Lipsi

2. Lib. Electorum c. 16.

ITa vivam ipse & valeam, ut peracerba nuper mihi accidit Jani Gulielmi mors, sive potius raptus. Subita enim fuit: & vix Biturigas venerat, cum febris eum occupavit, & in paucis diebus extremus ille dies. Sané amabam adolescentem insigni indole, magnâ spe: nec facilé ingenium videram (juvenile qvidem) magis mihi ad gustum. Libelli judicio meo testes. qvos in Critico isto genere paucos edidit; sed probos doctosqve, & qvos haut temeré Invidiæ dens atteret aut lima labentis ævi. Sed peracerba mihi tamen hæc mors, non nova. Qvæ enim alia vitæ lex? Ut lignum uri natum est, arista secari: sic homines mori. Ite mei juvenes, & animis fidite aut annis. una nempe morbi aura est, qvæ adurit & exstingvit hunc omnem vitæ florem. Qvin ut venti, cúm vehementissimé perflant, ponunt feré & desinunt: sic mortales, cúm grandia maximé spirant & sperant. Ego ipse, qvi ista loqvor, qvam diu heic sum? Fallor: aut strictum jam in me qvoq; fatale hoc ferrum, & seqvor te mi Gulielmi, imó calcem premo calce. Ita lentus difficilisqve morbus hic svadet: qvi ut hedera qvædam serpens, implicat & enecat me longo tractu. Sed hoc qvidem fiet cum Deo meo visum: intereá judicii mei de te & amoris monumentum hoc positum esto. non æternum, scio, (stulti qvi ab his scriptis id sperant) sed longævum fortasse: si tamen, ut cúm Pindaro dicam,

σύμ

Cum fatali qvodam auxilio Eximium Gratiarum decerpo Hortum.

—— πύρ τινι μοιριδίῳ παλάμᾳ ἐξαίρετον Χαρίτων νέμομαι κᾶπον.

Cui monumento carmen etiam tuum insculpo, certum & elegantissimi ingenii symbolum, & in me puri adfectus. (V. *infra pag.* 82.)

Justus Lipsius Valenti Acidalio S. D.

TU veró qvid facis, mi Acidali? Amicitiam meam ambis? abi, abi, frustrá: qvid ita? jam diu habes. Testor Kalendas hujus anni auspices, & ita mihi felix ille eat, ut te amavi, cúm primúm fœtum illum ingenii tui vidi, Vellejanas Notas. Leviculas, inqvis. Audacter dicito, & in hac modestiâ consta. O ornamentum juventutis pudor: seges veræ gloriæ & doctrinæ! Alii, inqvam, omnes melius de te, qvám tu, sentiant: & sic parva tibi videantur, qvæ feceris, ut majora cottidié possis. Vix autem faciet, qvi facere se jam putat. Sed ad amorem. in clausulâ illius libelli tui, qvám veri & vivi ignes? sensi, tetigi, & me qvoq; jam tunc accenderunt. Qvid nunc, cúm ventilas eos velut flabro svavissimarum epistolarum? uno veroq; verbo, Amo: & velut ad aras tibi, cum Poeta, spondeo:

Tui haud capiet me oblivio, qvam diu in vivis fuero & mea cara hæc membra movebo.

—— σέθεν 'ουκ ἐπιλήσομαι, ὄφρ' ἄν ἔγωγε ζωοῖσιν μετέω, καί μοι φίλα γ'ουνατ' ὀρώρει,

Certé,

Certè, naturâ ipsâ duce, amo ingenia, qvæ rectiora video, & ire ab bonam famam. Janum Gulielmium, popularem tuum, qvanti fecerim, ipse scivit, atq; etiam posteri, si vita aut gratia meis scriptis. Tu succede, qvoniam Deus illum eripuit, optimum ævo pessimo, & constituit in felici illâ sede. Nos qvoq; (an aliqvid vaticinabor ?) brevi illuc imus, ut valetudo hæc dictat, vacillans, tenuis : tu vive nostri memor, & vale. Lovanii, Kal. qvas dixi anni CIↃ IↃ XCIII.

LECTORI BENIVOLO.

TRriga Poëtarum prius edita junctim opere uno;
Catullus, & Tibullus, & Propertius.
TrigaPoëtarum nunc junctim opere edita item uno
Lernutius, Gulielmus, & Acidalius. (est;
Per Charites! Charites ut in illâ, ita in istâ etiã sũt;
Suæq; sunt & huic & illi elegantiæ.
Trinum ô perfectum ! Trino ô hoc utere bino,
Qvicumqve trinis vis placere Charitibus !

CASP. CONRADUS
VratisL.

JANI
LERNUTI

OCELLI.
ELEGIÆ.
ODÆ.
EPIGRAMMATA.





IANI LERNUTI OCELLI.

CARM. I.

Quis sese ocellis insinuans tuis
Divûm receptus hos amat? & manu
Cessante & arcu, crebra nigris
Tela superciliis coruscat?
Sacrata virtus Numinis, heu quibus
Ducta illecebris, atq; sui immemor
Consedit istic? an procacem
Esse Iovem rear, & relicta
Junone rursus neqvitias dolis
Moliri opertas, præpetis ut sui
Cum tectus involucro ephebum
Sustulit Iliadem? an puellum
Catum decoræ Cypridis; ac faces
Hinc spargere acres, spiculáqve improbo
Vibranda cornu, nunc venenis
Tingvere, nunc variare melle?
Vultus ita olim Dardanios prece
Motus Parentis sumpsit, & abdita
Divinitate Elissam amicum
Fratris in arbitrium coëgit.
Quid qvisqve credat, disspiciat; sacris
Hæc fixa myrti carmina ramulis,
Amorem ocellis ferre Hyellam
Credere me populis loquantur.

CARM.

CARM. II.

FUlgentes oculi bifidâ qvi frontis ab arce
Stringitis obliqvis spicula fulminibus:
Cum vobis Puer ille Gnidi postponat honores,
Excubet & vestris assiduè in speculis,
Qvo vos compellem titulo? neq; enim estis ocelli:
Astra estis, tantum qveîs pote ferre Deum.

CARM. III.

MEns animi, qvó cæca ruis? sic ergo tui exsors
Alterius pergis te dare in arbitrium?
Vos oculi, qvis fervor agit? qvo Pæone fretos
Vulneris insani non pudet esse viam?
Nēpe ope nūc vestrâ abjectus, qvod sit mare amare,
Cogar ab ingrato discere servitio.
Mens animi ô infracta! oculi ô malé conjurati!
In mea tam pronos exitia ire meos?
Æternúm miseri socio langvete dolore.
Fas necis artifices, me moriente, mori.

CARM. IV.

ADspectu sine, Vita, tuo me pascere ocellos:
Nec mihi delicias hac, rogo, parte nega.
Sic ego. cúm strophii diductâ nube, revelas
Ora Terapnæis æmula numinibus.
Hinc velut ætherei pavefacta fragore tonitrus,
Abdita festino mox pede tecta subis.

Non

Non est hoc ſinere adſpectu, Lux, paſcere ocellos:
Eſt jaculo injecto tollere, qvæ dederas.

CARM. V.

TE Lux, te qvoties video, ſubitó æſtuo totus,
Sulfur ut accenſam cum rapuit faculam.
Te Lux, te cúm non video, ſubitó algeo totus,
Ut cos Alpinis qvæ latet in nivibus.
Aſtra Nepæ exſpectent alii, Capricorni alii aſtra,
Et cæli certis ſe recreent ſpaciis,
Tu mihi vel tropico ſub ſidere Sirius ardes:
Sirio at ardente, tu mihi frigida hiems.

CARM. VI.

QUalis Dardaniâ qvondam Citheréa ſub Idâ
Paſtoris Phrygii vénit in arbitrium;
Cúm nuptam, natásqve Jovis Dea livida formam
Perpulit humano ſubdere judicio:
Talis & arcano egreditur mea Vita cubili,
Nativum nullis artibus aucta decus.
Cernis ut explicito niteat frons æqvore? cernis
Acer ut ex oculis ſpicula ſtringat Amor?
His Deus ille, polo, terraq́ Amathuſide miſſis,
Ut propriis gaudens ludit in hoſpitiis.
Qvám bené cæſaries vernans ſua tempora obũbrat!
Emicat é roſeis gratia qvanta genis!

Flammea puniceo non cedunt labra corallo:
Et primis certat narium ebur nivibus.
Qvám teretes digiti! qvám lævia colla! venustum
Qvám latus! artifici qvæ data forma pedi est!
Ut non mortalem se prodit! ut omnia rara,
Omnia vel magni sunt thalamo apta Jovis!
Dum licet, admissos Tithonia flecte jugales:
Téqve iterum Eois abde sub æqvoribus:
Aut ferrugineâ vultum tege nube. refulget
Clarior é terris lux modó luce tua.
Ni facis; egressam temeré pudor òbruet aurêus:
Victa meæ postqvam videris os Dominæ.

CARM. VII.

O Frons Hyellæ marmore lævior,
Splendere summi digna toro Iovis,
Non absq; fronte sidera ista
Sideribus tua adæqvo, & ultra
Formosi amœnum Luciferi jubar,
Astris pudorem qvo reliqvis facit;
His audeo excitare nomen
Spumigenâ Venere invidente.
Impuné nemo te videat; sui
Qvin exsul, ipsum se tibi mancipet
Devotus; extemplóqve nexum
Sponte tuum petat: ille cantu
Fallace blandas qvi volucres maris
Sprevit puellas, non qveat illicem

Transire

Transire flammam, flamma visam
Non mage, quám queat ipsa naphtham.
Perenniclaris tu quoq; frontibus
Jungére posthac, fulgidulos tibi
Me teste scintillare ocellos,
Unde faces animet Cupido.

CARM. VIII.

F*Vlmen habet cœli domitor: fert Ægida Pallas:*
Oceani trino est fuscina dente minax.
Marspiter & curru molitur prælia & ense:
Pugnis Tyndarides prævalet, alter eqvis.
Alcides clavâ bellatur, Mulciber igni,
Thyrso Evan, virgâ præpes Atlantiades.
Queî solus pharetrâ viduus Puer errat & arcu?
Queî face? cuncta oculis hæc gerit arma Venus.
Quæ Venus? illa mei pulcherrima caussa furoris,
Mille oculis Veneres quæ simul una gerit.

CARM. IX.

E*Xcors, exanimis semper vestigia sector*
Lux tua: & huc illuc irreqvietus eo.
An quæ olim Clytien damnarunt fata, eadem nunc
Improba Parcarum net manus illa mihi?
Herculis an sub fronte tibi lapis occultatur?
Atq; animi nobis ingenium ex chalybe est?
An potius radiis istis, velut igne pyrausta,
Captus in exitium sponte mea rapior?

Flammea puniceo non cedunt labra corallo:
Et primis certat narium ebur nivibus.
Qvám teretes digiti! qvám lævia colla! venustum
Qvám latus! artifici qvæ data forma pedi est!
Ut non mortalem se prodit! ut omnia rara,
Omnia vel magni sunt thalamo apta Jovis!
Dum licet, admissos Tithonia flecte jugales:
Téqve iterum Eois abde sub æqvoribus:
Aut ferrugineâ vultum tege nube. refulget
Clarior é terris lux modó luce tua.
Ni facis; egressam temeré pudor òbruet aurêus:
Victa meæ postqvam videris os Dominæ.

CARM. VII.

O Frons Hyellæ marmore lævior,
Splendere summi digna toro Iovis,
Non absq; fronte sidera ista
Sideribus tua adæqvo, & ultra
Formosi amænum Luciferi jubar,
Astris pudorem qvo reliqvis facit;
His audeo excitare nomen
Spumigenâ Venere invidente.
Impuné nemo te videat; sui
Qvin exsul; ipsum se tibi mancipet
Devotus; extemplóqve nexum
Sponte tuum petat: ille cantu
Fallace blandas qvi volucres maris
Sprevit puellas, non qveat illicem Transire

Transire flammam, flamma visam
Non mage, quám queat ipsa naphtham.
Perenniclaris tu quoq; frontibus
Jungére posthac, fulgidulos tibi
Me teste scintillare ocellos,
Unde faces animet Cupido.

CARM. VIII.

FVlmen habet cœli domitor: fert Ægida Pallas:
Oceani trino est fuscina dente minax.
Marspiter & curru molitur prælia & ense:
Pugnis Tyndarides prævalet, alter eqvis.
Alcides clavâ bellatur, Mulciber igni,
Thyrso Evan, virgâ præpes Atlantiades.
Queî solus pharetrâ viduus Puer errat & arcu?
Queî face? cuncta oculis hæc gerit arma Venus.
Quæ Venus? illa meî pulcherrima caussa furoris,
Mille oculis Veneres quæ simul una gerit.

CARM. IX.

EXcors, exanimis semper vestigia sector
Lux tua: & huc illuc irreqvietus eo.
An quæ olim Clytien damnarunt fata, eadem nunc
Improba Parcarum net manus illa mihi?
Herculis an sub fronte tibi lapis occultatur?
Atq; animi nobis ingenium ex chalybe est?
An potius radiis istis, velut igne pyrausta,
Captus in exitium sponte mea rapior?

Eheu quàm miserum malè versat dulcis amaror;
Dum tecum sine me me sine Hyella vagor!

CARM. X.

QVâ te luce mihi, mea Lux, fas visere non est;
Quæ lux est aliis nox inamœna mihi est.
Per loca sic manes furvæ lugubria Divæ
Errant æternis palliduli in tenebris.
At quâ luce mihi, mea Lux, te visere fas est;
Turbine lux agili præcipitata fugit.
Sic Jovis ad mensas Heroës nectare fusi,
Quamvis longa, tamen tempora non numerant.
O mihi te, mea Lux, semper sic visere fas sit,
Ne cœlo invideam, sufficere hora potest.

CARM. XI.

AVra felicis Zephyri, aura felix,
Aura, quam Phœbo Dea mater antris
Clam sub exesis genuit: secundo
Sic in amore
Chloris ardenti tua semper adsit:
Sic tuis cedant animosa fratrum
Flabra: sic regnes: age nunc volatus
Suscita, & arcem
I, pete Heroi positam Maluto,
Quam Venus, spretis Eryce atque Cypro,
Incolit, simul mea Lux eam oris
Prætulit istis.

Defer

Defer has illi lacrimas, per ora
Qvæ mihi nivis liqvidæ instar undant:
Defer & suspiria nostra, ab imo
Pectoris ægri
Qvæ traho, noctuq; dieq; mortem
Dum miser vivo miseram, atq; curas
Inter insanas jecur usq; sævo á
Vulture rodor.
Dic, bona oppressum nisi sublevet spes,
Mox fore, adspectu ut recreer cupito;
Nil fore, optatum toties subire
Cur morer Orcum?
Sed qvid hæc amens tibi? luce tacta
Ut meæ primâ fueris puellæ,
Flamine actutum ex humili emicabis
Arduus ignis.

CARM. XII.

TAm procul ergo meo vixi divisus ab igne:
Et sine te, mea Lux, perditus haut perii?
Mens ergo potuit tantas evincere moles,
Ultimaq; infernæ justa negare rati?
Sic adeó immites lacerarunt intima curæ:
Sic dolor usqve suo sæviit ingenio:
Ut superesse hilum mirer mihi pectoris hujus;
Ut mirer fatis me superesse meis?
Nunc demum expertus video, curas in amore,
Quamvis depressos non temeré opprimere:

Scilicet ut miseri magis ac magis excruciemur,
Inq; diem pejus nos mala nostra habeant.
Caucaseâ infelix ideo de rupe Prometheus
Pendet, & assidua carpitur á volucre:
Cumq; semel letho posset finire ærumnas,
Perpetuó vivit, perpetuó moritur.
At tu, Vita, tuos ultra mihi ne nega ocellos:
In rivos lacrymarum ecce abière mei.

CARM. XIII.

QVando Hyella cernere
Tuos ocellos, hospites Amoris,
Fiet integrum mihi
Rursus: diem præ omnibus diebus
Expetitum & aureum
Semper fatebor, efferámque semper.
Gaudia ista vel mihi
Si nox reducat: omnibus diebus
Præferendam & auream
Noctem fatebor, efferímque semper.

CARM. XIV.

FOrte sub adspectū dominæ cum, Douza, venirē:
Atque oculis epulas ferre suas caperer:
Extempló arcanas penetrans vis sacra medullas
Irruit, & rapidis me ignibus implicuit:
Implicuit graviterq; accensum funditus ussit.
Sic subita Æthnæi fulminis ira ferit.

Miretur

Miretur jaculos celeres Libyæ incola: virus,
D I magni, qvantó majus habent oculi!

CARM. XV.

EX oculis mea Hyella tuis modó gaudia mille;
At modó tristitiæ semina mille traho.
Cor micat, & trepidis exsultant pectora fibris:
Spem vultu qvoties candidiore facis.
Mens cadit, atq; exspes jaceo in mœrore, metuq;,
Spem vultu qvoties turbidiore negas.
Qvid jam non in me tibi D I voluêre licere,
Montibus his animum sic mihi qvando rapis?
Ah ducis exemplo Æmonii, Lux, mollior adsis!
Cúmqve tot intuleris vulnera, confer opem.

CARM. XVI.

Sancte senex, Nerei qvē sunt penes æqvora, Proteu,
Cui fas, in leges te variare tuas:
Omnia si rerum miracula corpore formas;
Flamma superjecto qvei potes esse mari?
Sic ego: Carpathius contra mihi talia vates:
Nam qvæ sollicitum cura animū, inqvit, habet?
Dic agedum, intuitu qvoties tua te Venus urit,
Frigidus in mediis æstibus unde tremis?

CARM. XVII.

AMorem ocellis flammeolis Heræ
Vidi insidentem, credite posteri:

Fratrésqve

Fratresqvé circum ludibundos
Cum pharetrâ volitare & arcu.
Eheu pavore cor trepido salit,
Mensq; icta amoris Numine devium
Lymphatur. eheu parce telis,
Parce gravi puer acer igne.
Fas inqvieta sit mihi gaudia,
Curasq; dulces, cuspidis & tuæ
Votiva vulnera, atq; amicum
Arte lyræ celebrare amarum.
I . . & parentis regna Amathusidos
Porrecta laté dicere; partaq;
Tropæa de Titane, & astus
Mulciberis malé pertinacis.
Tu vim leonum, tu tigrides domas,
Ceteq; & uros : perq; acies truci
Dextrâ gradivum fulminantem
Mitem animis placidúmque reddis.
Tu post Gigantum terrigenam manum
Fusam fugatam, tela Diespitri
Irata tollis : tu relicta
Conjuge sidereisque regnis,
Quandoq; tauro dissimilem sui
Abdis vel auro : jam gelidis cygnum
Uris sub undis, jam salacem
Destruis in Satyrum aut in hircum.

Te Bruta tellus, te maris æqvora
Cælúmque & invisi horrida Tartari
Sedes veretur: te veretur
Ipsa Hecate, Patruusq; Pluto.

CARM. XVIII.

COr mihi nescio qvis rapuit? qvis? numqvid Hyella?
Sic est: luminibus præda fuit dominæ.
Quid nunc qvid faciam? qvâ cor ratione reposcam?
An toties captus audeam adire iterum?
Sirenumq; iterum ad scopulos hærere, & iniqvas
Ilicet in pedicas non rediturus agi?
An potius maneo? præstat. Sed corde remoto,
Langvida qveî solitus membra calor recreet?
Quó ferór ambiguus? pro me puer ito Cupido;
Aut Paphiæ ceston huc cedo matris: eo.

CARM. XIX.

DVm penitus nostris nondum Puer ossibus hæsit,
Et primâ afflatus incalui faculâ:
Intentis in te pendebam fixus ocellis,
Argus ut in pastus pellicis Inachiæ.
Et qvamqvam infestum lunaret fervidus arcum,
Et plenâ circum te streperet pharetrâ:
Mensq; acris præsaga mali trepidaret, & ire
Ultró se proprium sciret in exitium:

Non

Non tamen á caro potui divellier ore,
Insolitis gaudens vita cupidinibus.
At jam nunc animum & sensus deperditus omnes,
Sera ut Nyctimene, ferre aciem nequeo:
Incertusq; mei muto, jactorq; Medusæ
Tamquam saxificæ cernere vultum habeam.
Nec tamen á caro possum divellier ore,
Insolitis captus vita cupidinibus.
Heu tacti ad vivum, frustra, frustra estis ocelli!
Quid libertatis quærere jus patriæ?
Aut quorsum invitos alió contendere gressus?
Sic Phryga post damnum seró ferunt sapere.
Quin agedum perstate, avidiqve haurite venenum
Vivere cúm non sit, sit mihi posse mori.

CARM. XX.

HUc illuc quó qvisqve means in Sole vagatur,
Corporis accedit corpus inane sui.
Haut aliter qvó, Vita, pedum vestigia flectis,
Corporis accedo corpus inane tui.
Certé tecum animi vivit pars optima nostri:
Ne qvem me species arguit, esse putes.
Sum tu: cura tui nec te tamen ulla remordet..
Corporis hinc jactor corpus inane mei.
At simul ex oculis oculos subducis, inane
Qui modó corpus eram, dispereo in nihilum.
Nec minus hei nihilum luctus, lacrimæqve malé u-
Sic post fata etiam Mygdonis orba dolet. (runt!

CARM.

CARM. XXI.

Qvem tu, Vita, tuo semel
Perstrinctum placido lumine ceperis,
Illum non vagus Adria
Jactabit cupidum: non creperæ vices
Ardentem in fera prælia
Raptabunt: neq; sors aulica, callidis
Occultum ingenii artibus
Qvod Regum obseqvio subdiderit caput,
Adscribet procerum ordini.
Sed qvi sanctus Amor dulcicado madet,
Et formæ insolitus lepos,
Diffundent liqvido nectare cælitem.
Cæli me rota tertii
Concinnat Charites inter amabiles,
Ac sacrum Veneri gregem:
Et jam mole minus corporis aggravor.
O mortalibus invidas
Mentis qvæ tenebras, Lux mea, discutis!
O seclo qvoq; reptili
Incussura aqvilæ, si libeat, volatum!
Ex omni & merito tuum est,
Qvod curâ vacuus degeneri feror,
Nil Deos tacitè obsecrans.
Qvod vivo & valeo, sûmqve meus, tuum est.

CARM.

CARM. XXII.

ALituum immortale decus, DIs æmulus ales,
Ipse sibi genitor, ipse sibi soboles:
Qui nostri ex alto spernens consortia mundi,
Nec Fortunatis cernitur à populis:
Sed Tigrim, Gangémque ultra, Nabathæaq́ flabra
Lucifer ardentes mane ubi frenat equos,
Auroræ roseos inter Titanidis ortus,
Non adeunda aliis regna beata tenet:
Tædia decursæ quoties malé fert ætatis,
Ne fati temeré concidat arbitrio:
Aggereum educit tumulum sibi colle sub alto,
Conspicuum myrrha, conspicuum casia:
Et tumulo adjiciens flores & germina florum,
Mercibus intactam pauperat Arabiam:
Mox Phœbi ad radios pennas qvatit auricolores,
Accenditq́ sui funera sponte rogi:
Scilicet vt letho redivivus surgat ab ipso,
Natalésqve ambusta hauriat é cinere.
Sic ego dum nitidos Dominæ me verto ob ocellos,
Instar siderei qvi mihi Solis habent,
Spe, desiderio, dulciqve agitatus amore,
Ipse pyra & proprio sum meus igne rogus.
Atqve ubi diripuêre avidæ præcordia flammæ;
Vivere desisto, vivere vt incipiam.

CARM.

CARM. XXIII.

Non tibi pulchra satis, Claudi, mea Hyella videtur:
Nec meritó raris digna cani numeris.
Aut miser invidia, aut alio excæcatus amore es.
Sume meos oculos, & dabis esse deam.

CARM. XXIV.

EN speculum formæ testem cape, labráque Hyella,
Adspice Acidaliis invidiosa rosis.
Adspice marmoreum frontis decus: adspice Phœbi
Lumina sidereis æmula luminibus:
Ut superet niveos facies candore hyacinthos,
Et cervix Indum lactea ebur superet.
Qvintiliæ tali nec contigit esse: nec ipsa,
Sexte, tuâ veniâ Cynthia talis erat.
Talis erat Phrygiâ prælata duabus in Idâ,
Ad cælum victrix dum Cytherea redit.
Omnia contulerunt in te sua munera Divi.
Ah cave, ne cupidis surripiâre Diis.

CARM. XXV.

OCellus ille, qvem cano, Dei alitis
Ait fuisse nidus unus unicus:
Neqve ullius lepori amabilis nurus
Neqvisse prænitere, sive seriis
Opus foret vacare, sive lusibus.
Et hoc negat Lycænidis malé æmulæ
Negare frontem, & auream Critheidem,

Plocénqve nobilem, Æliámqve cæsiam,
Glyconida, speculúmqve Belgii Antherin:
Ubi iste post-ocellus, anteá fuit
Serena stella. namqve in orbe lacteo
Micante sæpe lumen extulit face.
Tabuda magne, túqve ductor Hespere
Tibi hæc fuisse & esse cognitissima.
Ocellus inqvit: ultima ex origine,
Choros stetisse dicit inter astricos:
Tuo ustulasse te tuósqve in æqvore:
Et inde tot per invidentium greges
Decus tulisse, dura sive mollia
Moveret arma, sive mallet Aliger
Simul protervus abdere utraq; in jecur.
Neq; ulla vota amasionibus Diis
Sibi esse facta, cum veniret á domo
Jovis superbi adusq; candidum hunc diem.
Sed hæc prius fuère. nunc Dióneo
Cluitq; honore, séqve dedicat Tibi
Cupido Amoris, atq; Amor Cupidinis.

CARM. XXVI.

CÆsarias alius deducat in arma cohortes,
Aut Othomannorum prælia résqve canat.
Ipse domi qvo Marte premar, qvibus impetar ausis,
Eloqvar Idaliis perditus insidiis.
Non eqvites, non me pedites, classésve lacessunt:
Agminis insolitì fi aus nova bella movet.

Lunatóqve

Lunatóqve superciliorum é fornice grassans
Cruda venenatis vulnera dat jaculis.

CARM. XXVII.

CRedimus in superis ævum si ducere Divos
Et quo Saturnum templa Acherontis habent:
Qvêi nunc cælorum tractu, illecebrisqve relictis,
Degere Lux tecum gaudet & audet Amor ?
Certé oculi qvæcumqve tui vis attrahit illum,
Jure mihi fuerit major Amoris amor.

CARM. XXVIII.

HÆc hora dicta est : exit ecce patriis
Factura DIs ritu annuo.
Spectare rarum si juvat formæ decus,
Nulla ante qvale protulit
Ætas avorum, nec futura posteris
Producet ulla seculis :
Ut invidis reconditum exseras jubar
Titan, memento, nubibus.
At ne procaci lumine avius cave
Et mente & axe corruas :
Clademq; nati rursus instaures tui,
Cúm terra hiulca incendio
Manes profundi prodidisset Tartari ;
Cymbámqve publicam Senex
Pigro paludis abdicârat alveo :
Et jam ipse Erynnias furens

Deos in ipsos Dis citasset, amnium
Ni Rex Patérqve perditi
Orbis misertus attulisset ultimis
In rebus auxilium Padus.
Præsens face adsis, & memor, Cupidines,
Si qvando Divos urere
Redit voluntas, ex ocellulis Heræ
Geminas ciere lampades.

CARM. XXIX.

LVce oculorum orbus cúm fertur utrâqve Cupido
Dictat ut Aoniis gens operata sacris:
Qveînam tam certo sua spicula discutit arcu,
Lascivum qvoties stat penetrare jecur?
Heu spes ambiguas! qvid non in amore timendum,
Vulnere si cæcus dirigit arte Puer?

CARM. XXX.

LVtea puniceis Matuta jugalibus exit:
E'qve pruinoso excita viri gremio
Tollitur: æqvorei adsiliunt sub sidere fluctus:
Et trahit aurivomos purpurea unda sinus.
Sol poné emergens radiatum insigne reportat,
Et juga rimatur ardua luce nova.
Tu qvoqꝫ, Vita, tuis lucem mihi suscita ocellis:
Et tenebras læta disjice fronte meas.

Non

Non audis? & verba nothis facio irrita? nox est
Luce vel in mediâ te sine plena mihi.

CARM. XXXI.

FLecte oculos, mea vita, tuos: si cernere pergam,
Fiam Tiresias alter, & Oedipodes.
Redde oculos, mea vita, tuos: ni cernere pergam,
Frigidus exanimi pectore dispeream.
O dubii vis certa mali! qvid Cypri miraris:
Qvæ nova te in clades asperat ira meas?
Aut placidis fruar impuné & cum pace; vel æger
Ne toties moriar, da semel ut moriar.

CARM. XXXII.

SI qvandoqve mihi obviam
Facta es; hos oculos tuos
Ut vidi, hei geminas faces,
Qveis dudum miseré uror!
Ne rursum exitio sciens
Memet objiciam; ilicet
Incerto trepidus pede,
Qva datur, retró cedo.
Frustra: nam prius aridas
Flamma per segetes strepens
Sedetur; prius in caput
Cursus Isara flectat:
Qvam desiderii qveam

 Surgentis

Surgentis premere impetum :
Aut menti arbitrio meo
Legem ponere recti.
Ut qvondam (Inachiæ fidem
Si veram historiæ putas)
Ad pestem ante oculos sitam
Ivit Amphiaráus:
Sic cernam licet, apparem
Qvid mali mihi, ni loco
Devitem; tamen in crucem
Vel pes me rapit ipse.
Cur ergo, ô oculi, fuga
Vana nitimur ? æstuat
Imis visceribus latens
Vis concepta veneni :
Qvam nec Thessala cantibus :
Aut herbis anus enecet :
Qvin nec ipse Epidaurius
Curet arte paterna :
Hic etsi lacerum Deæ,
Vitaq; Hippolitum suæ
Olim reddidit; hæc polo
Possit diripere astra.
Ah Amor nimium impotens !
Ah me clade gravi obrutum !
Jámne conditio feris
Ipsis mitior exstat ?
His & lethiferas manus Pastoris

Paſtoris fugere, & ſacro
Dictamni antidoto datur
Plagæ poſſe mederi:
Si qvam forte volatili
Percuſſæ jaculo latus,
Dum malé inſidias cavent,
Accepére trementes.
Sed nil deprecor. impudens
Sim, ſi vel puerum ſui
Optem diſſimilem, aut velim
Captum luce videre.

CARM. XXXIII.

CUr faciem qvoties iſtam, Lux, cernere pergo
Immemor ah animi exſternor & obſtupeo?
Nec ſecus, ac contra tendit qvi tela diei,
Protinus obſcurâ differor á nebulâ?
DI facerent, Argi cingant mihi lumina frontem!
Alitis aut cingant lumina fulmigeræ.
Arcas virga meos oculos non vinceret unqvam,
In capite hoc ſomno nec foret ulla qvies:
Qvin formæ tot monſtra tuæ formoſa tuerer,
Dum mors obtutus ſolveret una meos.
Et ſané dos digna Diis pote, & æqva videri,
Extulerint cum te dotibus innumeris,
Innumeros tribuiſſe mihi qvoq; luminis orbes:
Mirer ut hos in te, Lux, propiúsqve ſeqvar.

CARM. XXXIV.

POst obitum in varias animam migrare figuras
Euphorbo veré si placuit Samio:
Nec mors ingenium mutat, seu flumina canus
Servet olor, nemorum seu leo tesqua colat:
Ipse ego (qvando suo me cepit lumine Hyella)
Composito gignar funere papilio.

CARM. XXXV.

AD te si qvando accessi, & tua lumina specto,
Lumina Phœbéis qvæ mihi pro facibus:
Ut qvi monstrifice Phorcynidos ora tuentur,
Frigidus adstricto pectore dirigeo.
Nec mora : lux animum attonito rapit improba: &
Sum Thamyras, fieri dũ volo Aristorides. [alter
Qvódqve Poëtarum superat mira omnia, fio
Hoc mage Aristorides, qvó mage sum Thamyras.

CARM. XXXVI.

CUr numqvam satier tuos
Spectans, Lux mea, ocellulos,
Istos, Lux mea, ocellulos,
Qvi cor sic mihi carpunt
Ignitum faculis suis,
Ut nec Ænariæ obrutus
Altis vorticibus Gigas
Cœus ardeat æqvé;

Mirabar

Mirabar prius: at modò
Nil novi video. in necem
Sponte tendere Pyralin
Vidi lucis amore.

CARM. XXXVII.

QUi solis Libyæ degit Basiliscus arenis,
Cuncta venenato lumine trux perimit.
Quid mirum, vastis igitur si regnet in oris,
Nec quisquam propius audeat ire ferum?
Mirandum magis. adsector te, Lux mea, semper,
Cum tamen & miti lumine me perimas.

CARM. XXXVIII.

VT Afro ratis occupata vento,
Dum cœlum tenebris, fretúmque inhorrens
Solo fulgure claret: ipsa cani
Dum prudentia & ars stupet magistri,
Jam Pollucibus ultimúm invocatis:
Si secundior aura spiret, & lux
E Pharo procul emicet; repenté
Hanc remis petit, advolátque velis.
Sic istos mihi quando, Vita, ocellos,
Post lentas hiemes amoris offers
Jactato malé perditéque: surgit
Celer mox animus, fugáque fluctus
Tam sævos trepidante spernit, & se
In portum penitus suum recondit.

Illum ego ut ſeqvar, aſſeqvárqve, ſi qvis
Te tunc me ſinat usqve baſiare:
Usqve ad millia millies trecenta
Te tunc te mea baſiare pergam,
Aut ultra potius neq; oſculandi
Umqvam me ſatias moveret ulla:
Non, ſi præpavitante corde, & ipſis
Tandem deficientibus medullis,
Totus hauriar obruárqve totus.
Sed dum te mea baſiare pergo:
Dum plexus cupidis tibi lacertis,
Ut tenax hedera arbori aut corymbus,
Iſto nectare ſolvor oſculorum,
Quo nec ſvavius ipſe Phryx Tonanti
Inter pocula cœlitum miniſtrat:
Nolim vel cupiam, haut qveam teneri,
Quin & lucidulos tuos ocellos,
Quin genas roſeas, & oris hujus
Clari, candiduli duos pyropos,
Unde has delicias mihi creari,
Unde hæc gaudia gaudeo evenire,
Grato lumine ſæpius ſalutem.
DI qvod hoc genus impotentiæ? ergo
Sic labris miſeré invidere ocellos:
Nec ſpem eſſe auxilii? Huc Meneni: & olim
Si plebem patribus reduxti amicam,
Quam malus temeré efferârat error,

Nunc

Nunc age ingenium excita, allabora,
Cum labris bené congruant ocelli:
Et DEus, mihi pacis alter esto.

CARM. XXXIX.

NOn ita Parrhasiam spectat lapis Indus ad Arcton,
Occulto magnes nobilis ingenio:
Nec Clytie sic solis eqvos intenta tuetur,
Mortua non potuit cujus amore mori:
Nec sic auratâ rutilantiq; in arbore mala
Observat custos pervigil Hesperidum:
Nec sic Phryxéi tutatur velleris Hydrus
Excubat insomni nocte dieq; acie:
In te ego ut obtutu semper defigor eodem,
Lux mea, luce frui fas mihi qvando tua est.
Sed qvæ fata meis credam contraria votis?
Colchida quámve in me sacra piare qverar?
Dum tibi devotos usqve aversaris amores,
Nescia blanditiis reddere mota vicem?
Námqve vel adsiduis studiis addicta Minervæ
Secretâ certas delituisse domo:
Vel si fors prodire juvat: velo abdita prodis,
Tamqvam deliciis invidiosa meis.
Ah nostri si nulla tibi, Lux, mutua cura est!
Saltem sit Pueri mutua cura Dei,

His

Hic est ille, tuis qvi cernere gaudet ocellis:
Qvi tibi cum superis & Venerem antetulit.
Et potes ô malé grata Deum bis lumine ademto
Abstrusum cæcas deprimere in latebras?
Ne tantum ne offirma animo pulcherrima crimen:
Qvin potius læsi numina concilia.
Ut possis prodire velis, vultu sed aperto:
Téqve palam videat, invideátqve Venus.

CARM. XL.

OCelle Americi soli, volans sacrata Phœbo,
Fors inter alites tibi fortuna jure favit,
Qvascumqve mobile aëris per æqvor aura tollit:
Cum labe nulla turpior novóqve salva ab orbe
Munusculum Puellulæ meæ obtigisti amicum:
Atq; illius nunc in sinu melos suave lingvâ
Tentes sonare blæsulâ; cibisq; nunc cupitis
Fruare, nec tuæ Indiæ te germina aut odores
Morentur; omnia Indiæ cúm germina ac odores,
Nectárqve dulce cælitum trahas vel osculo uno.
Dic ô mihi, dic, roscido soluta mane somno
Cubile qvando deserit, decúsqve amabile oris
Exsuscitans toro emicat; natale numqvid astrum,
Eqve occidente oririer stupésne posse solem?

CARM. XLI.

QVid juvat in nostros dentem distringere lusus:
Et premere innocuæ simplicitatis opus?

Non

Non hîc Galbano prurit mihi pagina luxu
Hellespontiacâ nec crepat æra manu.
Nec Didymi exactas renovat sub fornice noctes:
Aut Nero, qvæ tacitis gesserat in Capreis.
Adspicis ingenuâ deducta poëmata fronte,
Qvalia dum Paphiis ignibus incalui,
Prima verecundo cecinit mea Pieris ausu.
Estne qvid heic oculi, Zoile, cur doleant?
Si doleant; tu caussa mali. qvos invidia exest,
Intuitu sanos sic vitiant oculos.

CARM. XLII.

NOn insolenti nec dubia ferar
Via uniformis per superûm igneus
Amator arces: atqve nexu
Corporis ante obitum exsolutus
Terrena spernam. nil capiet mei
De parte sacra Persephone nocens,
Tagáxqve Parca, stamen occet,
Ut lubet, é tribus una nostrum.
Jam jam repulsâ nocte animi, vigor
Conturbat intus, atqve hominem procul
Exturbat ægrum, concitóqve
Pectus obit agitátqve motu.
Jam mens inerti carcere libera
Supra maligni tramitis obices

Curr

Curru Cupidinis levata,
Evehitur per inane magnum.
Intérqve cæli septa Qviritium,
Et Gratiarum virgineum chorum,
Qvá Cyprius movetur orbis,
Ipsius in gremio Diones
Lætatur omni lætitiâ: & Deæ
Agnoscit expressam effigiem suæ,
Ardétqve, miratúrqve, & in se
Liqvitur illecebrâ decóris!
Frustra latébris, Lux, penetralium
Peplóqve gaudes: nusqvam oculis abes
Invisa nostris. mitte peplum,
Mitte supervacuas latébras.

AMORE MAGISTRO.



ELEGIÆ.

AD JANUM DOUZAM A NOORTWIICK

ELEGIA. I.

Tu nunc ambrosiâ Musarum & nectare plenus
Differis ingenii semina, Douza, tui.
Ac curis procul æternos moliris honores,
Unde & ab exseqviis laus tibi certa manet.
Non levis ambitio, nec amor male-svadus habendi,
Qvæ dira humanis pabula dant vitiis,
Nec te desidiæ Siren movet improba: nec te
Ulla voluptatis sevocat illecebra.
Aut ergo ante tuos vivis conviva penates,
Et nihil arcana voce rogas superos:
Aut qva secretum illudit tremulis nemus umbris,
Lymphâqve muscosâ prosilit é scatebrâ,
Inter Hamadryades & agrestum Numina Faunos,
Insolitum citharæ dividis arte melos:
Dúmqve canis; sistunt latices, nemus arrigit aures:
Mirati applaudunt Fauni & Hamadryades.
Aut Dominæ in gremio tereti cervice repostâ,
Dilectis oculos pascis imaginibus:
Labráqve turgidulis pressans sitientia labris,
Ipsum cum Paphiâ despicis Odrysium.

Mox

Mox niveis cæli vectus super ardua cygnis,
Qua sola unius semita facta solo est,
Ultra luciferum formosæ Amathusidis orbem,
Hîc ubi in auratis Sol micat altus equis,
Mille rapis, monstrante Deo, miracula rerum:
Et duplici mentis igne citas animum.
Hinc tua sub nostras venerunt basia chartas,
Basia deliciis invidiosa suis.
Basia vel Pyliam nata emollire senectam,
Basia vel sanctos digna hilarare Deos.
Felicem ô te sorte tua ter, Douza, quatérque:
Ante obitum vita cælicolûm frueris.
At mea me caris Lachesis procul arcet ab oris,
Et miserum ignoto jactat in exsilio.
Nec satis est Alpes modò transscendisse nivésque,
Saxáque mutatis vix superanda feris:
Et toties sprevisse viæ discrimina cæca,
Tot subiisse æstus, tot subiisse hiemes:
Ecce aliam ex alia cogor mox visere gentem,
Currere & Insubrum finibus ulterius.
Interea ferus instat Amor, Dominámque relictam
Objicit: & rapidas ventilat usque faces.
Quid tibi jucundum nostras incendere pœnas?
Tam tener hei nunquam non gravis esse potes?
Haud ego desertor fugi tua signa Cupido.
Justa fuit patrium linquere caussa Larem.

Quam

Quam Tityo volucris, nobis concede quietem.
Plus satis est duræ me mala ferre viæ.
Néve vaces; rigidos istis age subde sagittis,
Per lacerum penetrant jam mihi tela jecur.
Aut si nulla mei tibi parcere cura dolori est;
Sit saltem pharetris parcere cura tuis.
Hæc ita, sed surdæ, neqvidqvam conqveror auri:
Raptáqve lascivi verba ferunt Zephyri.
Ille animum, sensúsqve meos sine fine venenat:
Ille mihi noctes asperat, ille dies.
Nec prosunt ultrá dulces in carmine Divi,
Delius & Musæ, Thyrsiger, & Charites.
Nec me rura suis opibus halantia tangunt,
Nec tangunt cantus aut citharæ, aut avium.
Omnia sunt inamæna: vagus seqvor avia longé,
Atq; horrore sacras lugeo per silüas.
Turturis heic vidui vox est mihi grata gementis:
Ille meæ speciem tristitiæ unus habet.
Hic lapidi lapis incumbens prope fontis ad urnam,
(Vos eritis testes Najades & Satyri.)
Ah qvoties, lacrimis in mæsta cadentibus ora,
Irent perpetui fonte novo latices:
Ni mox siccatas ambusti pectoris æstu
Agmine serpenti repere vix paterer:
Ah qvoties patrias frustra convertor ad oras!
Et querulâ nomen voce voco Dominæ!

Sæpe mihi Morpheus ipsi nova somnia fingo,
Somnia perpetuó vera futura mihi.
Sæpe ego ne tales pergam sentire dolores,
Mygdoniis opto stare jugis scopulus.
Sic mihi flos vitæ, melior sic deperit ætas :
Nec qvisqvam externo porrigit auxilium.
Nunc Te per Genium studii communis adoro,
Pérqve alterna sacræ fœdera amicitiæ,
Adfer opem, curasq; animi proscribe tyrannas :
Et tandem alloqviis me mihi redde tuis.
Nam potes : ipse Tibi Pæan sua carmina donat :
Donat & Ismariam Calliopæa lyram.
Maxima nec desit doctis vis addita dictis,
Et qvidqvid Pitho, vel probat Ægiale.
Qvod mihi si sævos sedâris in ossibus ignes,
Fas sit ut ingenii libera fila seqvi :
Non qvia te nostris sperem pote tollere Musis,
Sed qva mente Deos thure, mero colimus;
Æterno tibi digna canam præconia versu :
Virtutisqve tuæ, Douza, Poëta ferar.
Nec subtile Umbri metuam censoris acumen,
Et dabo Burenæ materiam invidiæ.
Jámqve adeó in tanto rerum qvod turbine possum,
Qvaliacúmqve meæ pignora Terpsichores
Mitto, dicóqve tibi. Solito tu suscipe vultu
Qvæ damus : atqve oculis esto meis speculum.

Ad

AD JUSTUM LIPSIUM.

II.

MUsæ Pierides, Musæ genus ab Jove sacrum,
Alite cum Puero; túqve Erycina Venus,
Et Lepor, & Charites, & Divum qvidqvid amicis
Præsidet, ac sancta gaudet amicitia;
Dilectum pariter mecum invitate sodalem,
Et facite, adventu nos suo ut ille beet.
Adsis ô Lipsi patriæ columénqve, decúsqve!
Adsis, & corám nos face ut ipse bees.
Hîc te Mekerchius semper tuus, atq; Briardus,
Te manet hîc Victor, Te manet hîc Modius.
Nansius, & Pantinus, & indigitatus ab urnâ,
Non senis impuri, Sed Phrygis Iliadæ,
Unanimem unanimes cupidé opperiuntur amicum:
Cernere te Brugæ, te Ria noster avet.
Brugæ scripturâ illustres tuâ & Atticæ Athenæ:
At Ria prole virûm par Tiberi atq; Pado.
Inprimis Te Lernutius manet ex die in horas:
Nec pote discidium ferre tui ulterius,
Non secus absentem Pylades qvæsivit Orestem,
Non secus absentem Thesea Pirithous.
Sic mater juvenem, qvem trans maris æqvora ventus
Cunctantem externis detinet hospitiis,
Irreqvieta vocat: noctis sic gaudia amator
Pacta sibi exspectare, & solet expetere.

Adsis ô Lipsi, patriæ columénque, decúsque!
Adsis, & coram nos face ut ipse bees,
Qvid rear? an fidos liqvisti, Iaste, penates?
Nec te conjugii cura, domúsqve tenet.
Sic certé fidei prævénit epistola sponsor,
Et sperare bonam spem bené nos voluit.
Jamqve Lare egressus proprio tua prædia transis,
Corniger irriguo qvæ lavat Isca pede.
Bruxellámqve subis, sedem Regúmqve, Ducúmqve,
Ex merito Nemesin Regum itidem atq; Ducum.
Testis Cuninga, testis decumator Eous,
Et qvotqvot similes induit in laqveos,
Naufragiúmqve solo in solido facere alta coëgit
Ambitio, & cæcæ mentis avaritia.
Et qvamqvam hic summis Belgî de rebus agatur,
Qvid contra vafrum pro patriâ Autolycum
Facto opus, & contra Briareia monstra Harpyias,
Tótqve lupos, Calpe qvos alit occidua.
Alostum porro contendere pergis ad urbem,
Urbi dissimilem, dissimilémqve sibi
Ipsi, qvæ modó flos erat, & Teneræ urbium ocellus,
Cum nondum diri militis insidiis
Intercepta minas, cædésqve & stupra Marana
Pertulit. heu Divi qvæ fuit illa dies!
Hinc rursus digressa manus cúm perdita Iberûm
Funditus Europæ sustulit Emporium!

Tunc

Tunc barathro Eumenides simul exsiluêre profanæ:
Tunc Mars in pestem perniciémqve hominum,
Et mors incubuit; conjunctáqve fata ferentes
Ditarunt Stygium perpetuo ære Senem.
Non tot Cannensi ciderunt clade Qvirites;
Nec simili aggestas Laomedontis opes
Turbine victores rapuêre ad Pergama Graji,
Argolicâ Trojam dum capit arte Sinon.
Ergo interfectæ tu caussa, pecunia, es urbis?
Per te qvi vivunt, vivere desierunt.
Tu dubiis animos auxisti mentibus: ex te
Orta lues scelerum prodigiosa fuit.
Tu Maurum trepidum, spectantem ad fœdera pacis,
Audere insanâ cuncta manu subigis.
Nam dum te affectat; periit fas, júsqve, bonumq́;:
Et flamma periêre innocui, & gladio:
Et Janus non justa piæ dare debita alumnæ,
Nec flere extremas audet ad inferias:
Sed sua vulturii nunc vexant membra, vorantq́;
Improbi, & infandâ luridi ab ingluvie.
O Majâ genitrice nepos Cyllenie Athlantis,
Sic á stirpe orbis procubuisse forum?
Aut qvidnam eversâ gaudes Gradive Anuërsa?
Si nescis, nervus urbs erat ista tuus.
Scaldi qvid auxiliũ imploras? qvid Numina in ore
Surda tibi? ex adytis Divi abiêre tui.

Nam tibi qvæ flavo trepidabat flumine lympha,
Adspice purpureo sangvine spissa rubet.
Adspice, Mulcibero dominante incendia passim
Tecta vomunt. qvid habes, cur superesse velis?
Omnia sunt tecum pariter tua commoda fracta:
Omnia sunt tecum gaudia pulsa tua.
Abde caput miserande: & pronam turbidus urnā
Contere. nil superest, cur superesse velis.
Aut patris Oceani in gremium fuge. forsitan illic
Fortunæ mælior spes melioris erit.
Sic erit. ô votis Superi adspirate secundi!
Et date compositâ vivere pace piis.
Prome caput, pronámqve relabere versus ad urnā:
Audierunt justa Numina, Scaldi, preces.
Detumuêre animi latronum, arx Ganda recepta est:
Qvâ sine res etiam Flandrica pessum ierat.
Ad qvam deproperans proprior fit Lipsius, & jam
Gorduno primum proximus ad lapidem:
Crastina si faveat roseo Dea Leucothoë ortu;
Speratum nostra ponet in urbe pedem.
Heu qvæ non cupidum mulcent solatia pectus!
Dum desideriis mens animi icta suis
Nocturnum incusat, optátqve ardescere lucem,
Qva dabitur carum cernere posse caput.
Nunc lubet invisas penitus deponere curas,
Et mala cuncta avidis tradere turbinibus.

Nunc

Nunc lubet Aonios iterum insanire furores,
Auribus & doctis arte satisfacere.
Et niveo signare diem de more lapillo;
Plenáqve lætitiæ tendere vela meæ.
Huc mihi verbenam puer, Assyriósqve liqvores,
Cúmqve igni Laurum, cúmqve mero calicem.
Ocyus heic aram vivo de cespite tolle,
Quá fugit intonsis lympha sub arboribus.
Ipse Deûm plenâ venerabor Numina acerrâ
Prostratus, sacris & dabo thura focis.
Sancte vigil, tutela mei fidissima Lipsî,
Seu Te progenitum Plejade Mercurium,
Sive magis Phœbum, seu credere Pallada fas est:
Sis bonus, atqve, olim qvæ tibi vota, cape.
En tibi servatos brumæ per tempora flores,
En tibi, qvæ crines spica Cilissa lavet.
Ante aram phrygios iterat tibi tibia cantus.
Ad cantus facilem te precor esse mihi.
Dive fave: nam sponsa fide, promissáqve posco.
Tu juvenem nostris sistito luminibus.
Neu amor eludens cupidum spe lactet inani:
Neu mora sollicitum lentior excruciet.
Da capere affatus, alternáqve jungere verba:
Da satiare oculos, da satiare animum.
Cras tibi pro meritis meriti solventur honores:
Et cadet ante tuos victima cæsa pedes.

Audimur: rata signa Deum testantur, & omen
Delphica succenso laurus in igne crepat.
Ipsius & liquidis stillant unguenta capillis:
Et serta appositam decidit in pateram.

AD VICTOREM GISELINUM.
III.

Ex quo Belgarum patrio digressus ab orbe
Sequanicæ adscribor pars Academiolæ;
Suspicor irato Genio, aversisque Camenis,
Nulla mihi mentem, nulla animum aura subit:
Nec me consuetis lustravit Apollo choreis,
Ipse suis abiit spiritus é numeris.
Et jam quarta novum reparat Dea menstrua cornus
Fraternis toties excita luminibus.
Sic ubi frigidior brumæ rigor impulit annum,
Fluminaque hibernâ adstricta stupent glacié;
Ora premunt volucres, & vepribus in perplexis
Languidulæ nullis se soluünt studiis:
Horriferos hiemis tantum aversatæ Aquilones,
Querquera lugubri murmura voce iterant.
Nil igitur posthac placidum manabit ab ore?
Sic alium mutus vertar in Harpocratem?
Non ita Pierides cupiant: hoc nolit Hyella,
Illa meis olim nobilis ex oculis:

Cum

Cúm me prima ſuis victum ſibi cepit ocellis:
Juſſit & ad certos verba animare modos:
Reptantémqve ſolo, vulgiqve in nocte latentem
Extulit é tenebris, & dedit eſſe aliqvem.
Surge anima; atqve iterũ nimiũ intermiſſa retracta
Carmina, Victori fauſta precanda tuo.
Qvi nunc natales abitum meditatur ad oras,
Palladii repetens mœnia Lovanii:
Heic ubi Deliades vitreo ſub fornice nymphæ
Sæpe illum intentis obſtupuêre oculis:
Dum modó ſacratum Phœbo projectus ad amnem
Verſibus inſolitis ſiſtere cogit aqvas:
Nunc nemore inviridi turbâ admodulãte volucrũ
Et ſaxis aures indit & arboribus:
Interdum Æoliis reſonam concentibus Echo
Incitat, ac vocis flectit ad arbitrium:
Arbitrium, exempto qvod ſecula fine loqvantur,
Qvódqve hominem ſuperis inſerat ordinibus.
O mihi dum liceat porro usqve audire canentem!
Qvám juvet exactas rurſus inire vias:
Aut te per ſcopulos etiam, Giſeline, Ceraunos,
Aut per inhumanos perſeqvi Hyperboreos.
Nec me flagranti terreret Sirius aſtro,
Nec nivis æternæ terra adoperta gelu.
Vel tecum optatas peterem patrii orbis Athenas:
Vel pariter lymphâ mergerer in Stygiâ.

Nunc alió me fata trahunt. divellimur ambo.
Qvid faciam? temeré est spernere velle Deos.
At tu, Faune, poëtarum tutela piorum,
Longa per externos qvos via jactat agros:
Si mea sæpe tuas decantat fistula laudes,
Si á tenero constans sæpe tibi facio:
Incolumni da sancte iterum citó jungar amico
Incolumis: nec nos dividat ulla dies.
Tunc voti reus, irriguæ juxta caput amnis,
Perstrepit argutas qvá lapis inter aqvas,
Exesâ sub rupe sacram tibi moliar aram:
Gratáqve de Paphio serta feram nemore.
Hanc circum pueri, seriésqve innupta puellarum
Et plaudent choreas, & tua facta canent.
Ipse ego inumbratus viridanti tempora pinu,
Hædulus ardentem dum tremit ante focum,
Terna tibi laticis Nysæi cymbia libans,
Ter celer ob flammas vertar, & exsiliam.
Sive tamen redeo: reditum seu Parca negarit;
I, pete speratæ dulce solum Patriæ.
Et longúm mihi, Victor, ave, ave optime Victor:
Jam vocat ad solitos te tua Musa choros.
Jam tibi constantes portat Deus ales amores,
Blandáqve conjugii vincula nectit Hymen.
Illis lætus eris, votóqve solutior omni,
Cúm simili reddet te puer ore patrem.

Ecce

Ecce Coronides lateri ſociatus euntis
Contingi claro lumine ſe capitur.
Ecce novo gaudens prodit Medicina paratu,
Ac meritâ frontem fronde tibi decorat.
Ante valetudo campis emiſſa beatis,
Ingreditur proprio concomitante grege:
Grex Vigor atqve Jocus, Robúrqve, animiq́; Volu-
Gaudiáqve & ſancto juncta venus Bromio. [ptas,
In medio Phœbus gemino tibi fœdere vinctus,
Et citharam lævâ ſuſtinet, & Panacen:
Inſolitúmqve hilaris, tantóqve elatus alumno
Inſtat, & admiſſos concitat alipedes.
Parte aliâ affectæ timor atqve infamia terræ
Cum morbis altum Mors ruit in barathrum.
Salvete ô colles Grudii: tu Dilia ſalve:
Salve undánsqve citis macte voluminibus.
Olim præteritis qvæcúmqve audiſtis in annis,
Cum ſecura ſuo Cos ſtetit Hippocrate;
Ac cantu divos movit Oeagrius Orpheus:
Fas eadem & noſtris cernere temporibus,

AD JUSTUM LIPSIUM.

IV.

E*T Genii, ingeniiqve potens cultiſſime Lipſi,*
Naſcentem placidis qvem Dea Svada oculis
Dum

Dum rapuit, lethæ eripuit: atq; invidia ipsa
Majori indulsit vivere perpetuum:
Qvêis nunc in studiis Te suspicer excolere ævum?
An tetricâ Astrææ munia justitiæ
Indefessus obis? Patriiqve oblita retractas
Jura fori: & magnum es æmulus Æmilium?
An longinqva patrum facta atqve antiqva reperta
Sedulus invisis eruis é tenebris?
An genis ipse tuo felici é pectore, qvæ mox
Præsens & ventura omnia secla legant?
Et modó liberiora juvat contingvere verba
Melle Arpinati, Cecropióqve sale?
Et modó stat choreis lustrare Helicona novenis,
Plectere & in numeros carmina dia suos?
An potius densâ Grudiûm admirante catervâ
Exponis Veneti scripta operosa Titi?
Persunctúsqve tibi temet furaris; & horti
Rure tui gaudes præ sene Corycio:
Horti, qvem Ver adsiduum, qvem Flora, Venusq;
Incolit, & Zephyri credidit hospitium.
Non tibi neqvidqvam mentem ex meliore metallo
Japetionides indidit atq; animum:
Qvi vulgi de more insanis otia curis
Transigere, & tacitas condere opes cuperes:
Sed mage qvi priscis posses certare disertis,
Sive tuis Theseu, sive Qvirine tuis.

Per

Per quem barbaries nostro procul orbe fugata
Cocyti obscuras se abderet in latebras:
Cujus de Boreâ laus iret dedita ad Austrum,
Iret ad Eoos, iret ad Hespererios.
Ergo Arcas Divûm interpres, & carminis auctor
Cynthius, & Pallas Virgoq́, masq́ eadem;
Et Paphiæ comites, dominæ sine veste sorores,
A puero meritis dedita turba tuis,
Æterno, sanctóque tui inflammantur amore:
Certatim grates & tibi persoluünt.
Arváque Thespiades fusæ per aprica puellæ
Exercent dextras in tua dona agiles.
Hæc apium intexit casiæ: metit hæc amaranthos:
Illa rosis pingit lilia puniceis.
Altera septenas modulatur pollice chordas,
Et similes chordis voce sonos animat.
Illa tuum nomen bifidi super ardua montis
Culmina corticibus scalpit in arboreis.
Nec jam Nisigena aut thyasos inducit Iaccho,
Aut jacet hesternâ membra gravis crapulâ:
Musarum manibus sed serta tibi interplexa
Fert vigil, & mentis ipse suæ Dominus.
O cælo dilecte, tui flos unice secli,
Salve, ait, & propriis macte potens opibus.
Nec tibi sit Crassos mirari divite ab auro,
Ampláque ab auratis atria porticibus:

Aut

Aut Arabo advectas, Indóve ex æqvore merces
Expetere, aut succis vellere lota Tyri.
Ista leves jactent animos per fanda nefanda.
Tu cape pugnatæ præmia militiæ.
En ego te niveis subvectum ad sidera pennis
Mnemosynæ statuo conspicuum ante pedes :
Et capiti imposita immortali é fronde corona,
Hæc tua circumeat tempora, temporibus
Omnibus interimenda; micantem fulgida ad Arctos
Dum stabit Cressæ torta corolla Deæ.
Sic ille. adsensu plausêre Aganippides uno :
Et patriâ Phœbus plausit ab Ortygiâ :
Ipse hederâ vinctum movit caput Evius Evan :
Fallor ? an ad plausum cor mihi subsiliit.

IN JUSTI LIPSI TACITUM

V.

VT cùm Sol oritur, cedunt umbræqve, soporq́;,
Noxq́; abit atratâ cincta caput nebulâ :
Luce novâ albescunt auræqve & cærula cæli,
Atq; mari & terræ redditur inde color.
Sic postqvam ingenii cæpisti fundere lumen,
Et per te antiqvis fama revixit avis :
Artes emersêre bonæ, bona prisca reperta
E longo rursus enituêre situ.

Fugit

Fugit barbaries, totus jam mille per annos
Regnata, & præceps ivit in exsilium.
Ipsa caput victrix attollit Belgica cœlo,
Quamvis pressa malis innumerabilibus.
Virgineásque tibi nutrit jam sedula lauros,
Cedere se & Celtis, Ausoniæque negat.
Jure tuo. nam quis sese tibi comparet, arte
Sive opus est, ipso sive opus ingenio?
Non ille, egregiis monumentis clarus ubique,
Italus in Gallis, Gallus in Italiâ:
Non rigidâ & veteri, qui de virtute locutus
Vivit, & Arpinas audit in urbe novus:
Non alii, quorum nostra hæc & serior ætas
Intexet chartis nomina perpetuis.
Nam patriâ procul atq; bonis, civilia passus
Vulnera, & undosi litus ad Oceani:
Continuis langvens morbis, & mortis avaræ
Faucibus ereptus atq; iterum atq; iterum,
Aut priscæ historiæ, & juris primordia sancti
In Batavis magno primus honore doces:
Pegasidesq; olim potas Aganippide lymphâ,
Mel bibere, & nectar cogis in Oceano.
Aut operæ immodicus nocturnæ ad signa lucernæ
Mandas æternis scripta voluminibus.
Sic modó prodierunt lecta illa Electa, simulq;
Prodierunt Latii lautitiæ & Veneres.

Sic

Sic & Epistolicæ: mellitum opus & sale tinctum
Illo, unde, ut fama est, Cyprigena orta Dea.
Sic tua nunc olim vivunt Convivia in orbe,
Qveis Hebe adspersit mattia cælicolûm.
Ecce iterum Tacitus, totum qvem pæne lituris
Opplerat medio tempore barbaria:
Purus & illustratus, in antiqvumq; nitorem
Redditus, optató prodit in ora hominum.
Æsona non aliter memorant Medeïde canam
Arte comam, & rugas deposuisse senem.
Hunc tacite ô Cæsar dignum Te, jam face mille
Descriptum exemplis pulpita cuncta habeant.
Sed qvid opus fisci reditus absumere? qvidve
Scribarum celeres sollicitare operas?
Nam Tacitus Plantinus erit, qvi parvâ operâ & re
Efficiet magno Cæsare majus opus.
Macti esse eximio Tacite & Plantine labore,
Et Lipsi nostræ maxima pars animæ,

JANI

ODÆ.

AD BONAM VALETUDINEM.

PRO JUSTO LIPSIO.

I.

O diva! dites quæ colis insulas,
Præsens salubri temperie genus
Curare nostrum, spémque præsens
Ludere præcipitem Charontis:
Te veste molli umbrata genas vocat
Ferox juventus: te senii unicum
Levamen ægri, quos senecta
Vi tacita attenuavit ætas.
Te cunctæ amicant sollicitæ sibi
Suisq; gentes, quáque oriens diem
Illustrat orbis, quáque pronus
Mergitur Hesperium sub æquor:
Formodolosa ne luce tabeat
Mortale seclum, neu populos frequens
Emissus Orco Lictor Orci
Vastet atrox, spoliétque luce.
Te mater ambit læta Lubentia,
Chorosq;, Cantusq;, & Charites manu
Ductans amicâ; nec voluptas
Candida abest, validumq; Robur.

Te Liber, & stirps Uraniæ aureus
Sectatur Hymen, nec latus abnegat,
Quocúmque sub cœlo caducam
Iapeti sobolem alma visis.
At tussis impura, at mala Febrium
Cohors facessit: diffugiunt pede
Tremente morbi, Mórsque fundo
Exsulat interiore Averni.
Serva cubantem Lipsium, & ultimam
Extende metam: neu patere abditæ
Antiqvitatis occupatum
In studiis ante diem fuisse.
Heu impiorum, & neqvitiæ pudet
Avûmq;: qvid non barbara polluit
Ætas? qvid intactum nepotes
Vidimus? unde stylum magister
Inscitia effrons continuit? cui
Pepercit auctori? hoc utinam caput
Orbi supersit! ille priscis
Restituet decus omne Musis.

AD PHOEBUM DE J. LIPSIO.

II.

SI textum capitis rosa
Incendat rutilans, temporaq; ardeant

Circum

Circum Chryſoliti, mare
Dum mané Oceanum linquis, & æthera
Curru ſcandis in aureo.
Sic declivus aquas veſpere ad hoſpites
Cum vergis, celeri obviam
Horæ, ac Nereïdes agmine prodeant:
Exceptúmque ſinu, patris
Ducant in thalamos, ſons ubi nectare
Arcanus ſcaturit mero.
Sic ſeu voce melos, ſive melos lyra
Mavis dividere, ac Deûm
Inſtaurare epulis, carmina cœlites
Attentâ aure vorent tua,
Spernantq; ambroſiam præ modulamine:
O mundi decus! ô Pater
Vatum Phœbe, lubens huc ades! & mihi
Nubem pectoris exige,
Et luſtra ingenium lumine candido:
Da Sancte orgia myſtica
Rimari, atq; oculis prendere lynceis:
Da verſu lepido & pio
Laudes egregii ſcribere Lipſii.
Aut id ſi mereor minus,
Si perferre homini tantum onus eſt nefas:
Hoc plectrum, hanc citharam Deus
Certé ſume tibi, dignáque Lipſio

Pro me carmina concine.
Hic namq; ille bonis est animi potens
Divinis animi bonis;
Princeps nobilium Lipsius artium.
Hic est, qvem neq; turbidi
Armorum sonitus, nec variantia
Fortunæ, & fera perpetis
Morbi sævities á studio avocant
Virtutis, Sapientiæ.
Hic est, qvem & decus & delicias suas
Ad cantum ingeminant lyræ
Musæ, Mercurius, Gratia, Amor, Venus.
Quem Svadela viâ inviâ
Supra urbes, populosq; & maria arduum
Famæ curribus evehit:
Et tecum pariter currere dat polum.
Cui si, Phœbe, parem putas
Doctrinâ, eloqvio, moribus, ac fide:
Et tibi esse puta pares
Astrorum faculas, non hieme asperâ
Cæli cardine in horrido,
Cúm per signa meas semiferi senis
Acri frigore pallidus:
Sed cúm vel nitidi Veris obis dies;
Admissisq; jugalibus
Exultas medio flammeus æqvore:

Vel

Vel cùm frugiferæ premens
Spicas Erigones ignimicantibus
Autumnum radiis coquis,
In partémque Deos agricolas juvas.
Hoc plectrum, hanc citharam pater
Ergo sume tibi, dignaq; Lipsio
Pro me carmina concinens
Ipsum crede tuum dicere te Linum.

IANI LERNUTI EPIGRAMMATA.

AD IANUM DOUZAM.

ADspice & hæc, lauroq; favẽs & baccare lustra,
O Phœbi, ô Charitum, Douza, cor atque animę!
Nec mirêre, rudis cur se tibi nostra dicârit
Pieris, & nomen te velit esse suum.
Ingenio lucem Domini quæ ferre negaret,
Victuram Genio se putat illa tuo.
Sic & prisca tholis olim monumenta sacrarunt.
Fallor? an & Clarium tu mihi Numen eris?

Seu placet hoc superis; seu fors manet altera; credā.
Qvid vetat optatā credulitate frui?
Adspice & hæc, lauroq; favens & baccare lustra.
Auguror, & Clarium tu mihi Numen eris.

AD JACOBUM MONAVIUM.

CUm paucis sapiens ipsum Te, Monave, nosti,
Uno spes omnis dū tua nixa Deo est. (Christe,
Magne DEus, sobolésque DEI, DEūs ac Homo
Túque amor amborū in Numine Numen idem:
Da porro, ut qvidqvid statuet tua sancta voluntas,
Hoc probet usqve pio Monavus ex animo:
Ut seu læta illi eveniant, seu tristia, pergat
In terris vitam vivere cœlicolûm.

AD GOTOFREDUM HAEFTIUM.

CEnsuram, Gotofrede, mei tibi carminis edam.
Pars mala, pars melior pessima, pars media est.
Qværis ubi bona sunt? qvære ut lubet. haut tamen (ulla
Parte boni species vel simulata latet.
Unde igitur victura reor? livore carébunt;
Invidiam qvod habet, non solet esse diu.

DE VENERE ET ROSIS.

DUm septis Cytherea rosas legit aurea in hortis,
Qvas juveni in sertum plecteret Assyrio;

Spirarum

Spinarum imprudens diſtrinxit acumine dextram:
Nec mora: conſpectu ſangvinis icta ſui,
Palluit: utqve Deam flores ſenſêre paventem;
Ex illo ſemper erubuêre roſæ.

AD FURIUM.

VIs dicam, Furi, qvare tuus iſte libellus
Projicit ampullas, & tumidè inflat utrem?
Cùm nunc ſacrorum faſtos, ac Pontificum jus,
Nunc crepat hiſtorias, ſcriptáqve perpetua:
Qvæqve alia haut umqvam tibi ſunt per ſomnia viſa,
Ne dicam ſtudiis evigilata tuis.
Neſcio qvid certè: an verum cantat Apollo,
Nominis augendi omnia te facere?
Sic certè: clamat cerebri veſania, morbum
Ut pellas, ſuccis eſſe opus Anticyræ.

IN VIPERAM.

VIpera habet dextras, qvarum eſt pice lentior Ida
Altera, Vibenni eſt altera vera ſoror.
Vipera homo eſt ater: nam ſanctos ſpernit amores,
Et fas, ut libuit juxta amat, atqve nefas.
Vipera homo eſt demens; nec ſperat vindicis iram,
Deprenſus pergit qvi temerè eſſe tagax.
Sed nunc id crucior, qvòd grato, ingratus haberi
Suſtinet, & furto polluit hoſpitium.

Non impuné tamen: qvi sis, tete omnia secla
Noscent, & venies, Vipera, in ora virûm.

AD FLORUM.

DAmnat Fusio nostra, Flore, damnat
Ille Fusio, Fusio ille, secli
Ingens opprobrium sui. qvid? ánne
Damnat Fusio nostra, Flore? laudat.

DE BASSO.

CUr concinata fulgidus nitet veste,
Nec leucophæam Bassus, ut solet, gestat?
Sponso placere vult suo: brevi nubet.

AD JACOBUM HAEFTIUM.

SI qvisqvam tibi sincero se fœdere junxit,
Et rebus penitus se dedit ipse tuis:
Quem neq; Fortuna tumidum Fors blandior inflet,
Nec metus infringat asperior timidum:
Hujus me fido unanimem, Haefti, scribito in albo:
Et tibi Dardanium me esse puta Hyrtacidem.

IN MILITIAM TEMPORIS NOSTRI.

QUid faciat Virtus, ubi Fors regit omnia: & ictu
Ardua fulmineo subruta qvæqvé ruunt?

Ipsi

Ipsi Pelides, qvos extimuisset & Hector,
Sæpius imbelli morte cadunt globuli.
Bellũ ergò Andabatûm nihil est, nisi mutua cædes.
Et DEUS, ex alto qvi videt, hanc patitur?

DE JOVE ET AMORE.

NEqvitias pueri pater incusabat Amoris
Acrior, irarum non sine nube tonans.
Huic Amor: ardenti, qvantum pote, fulmine sævi?
Et gelido, dixit, flumine nabis olor.

IN VIPERAM.

VIpera non frustra, aut temerè mihi cognite furax,
Qvæ mala te tantum crux agit in facinus?
Siccine blanditiis, & magniloqventiâ abutens,
Delicias rapuisti & bona cuncta mea!
Nec pudet? hei Musæ nostræ interfector acerbe!
Hei pestis vitæ, perniti esqve meæ!

IN HYARENAM.

DIfficilem qvòd te nimis, austerâmqve vocarim,
Da veniam. in culpâ non ego, fervor erat.
Ecce recantatis studium est tibi parcere dictis.
Mollis es, & facilis: nulli Hyarena negas.

AD JANUM DOUZAM.

Stemmata si qvis miretur; tibi stemmata, Douza,
Sunt veterum Herois ducta ab originibus.

Sin animum ingenio mavult & moribus auctum;
Moribus est animus auctus & ingenio.
Divitias potius fulvo si spectet in auro;
Quæ & cupidum satient, sunt tibi divitiæ.
Ante alios triplici sic nobilitatus honore,
Unicus es veræ nobilitatis honor.

AD AFRUM.

OMnia molitur, quó rem struat, Afer Iberus:
Et tamen infelix, Irus ut alter, eget:
Per flammas, per saxa ruit: non flumina terrent,
Non via navi fragis invia vorticibus.
Afflet odor nares lucri semel; ilicet ibit
Ultra Memnonidas, ultra & Hyperboreos.
Nil grave, nil durum cupido: vel fata lacesset,
Et vitam infestis offeret agminibus.
Mirandum jure & meritó est, titulisqve notandũ
Qvis credat? satagit, nec sat Iberus agit.

IN ANTONIUM.

Mœchus es, & leno, & perjurus, & helluo, miror
Te pater, Antoni, cur spurium esse putet?

DE MILVIO.

MIlvius expertus scabiem malé serpere Iberam,
Si qvis vulgivagâ perficit in Chione:

Hans

Hanc ipsam ut vitet; vitat muliebria secla:
Et vomit, & potat perdité, amátque potos.
Quod voluit, cavit. scabie tamen integer ut sit,
Haut opus Hujaco est: Oeta opus Herculea est.

AD LINUM.

PRomittis toties: & adhuc, Line, scribere cessas?
Duxi, ais, uxorem. Do veniam; haut tuus es.

EPITAPHIUM JUVENIS FORMOSI.

ANte diem primis vitæ surreptus in annis
Inter mortales desiit esse Crotus.
Qui puerum letho exstinctum putat, errat: Adonis
Alter Persephonæ, Diti Hyacinthus abit.

FLACCILLÆ EPITAPHIUM.

DUm bibet, & crebris Flaccilla trientibus instat,
Obruit immodico viscera, séque DEO.
Quó non mors penetrat? frustra fugis æquora: in ipsa,
Cum volet hæc, mensa naufragium facies.

IN OLLUM.

ANte nihil fueras: subitó nunc summa tenentem
Te fors destituit. rursus es, Olle, nihil.

AD

AD QVINTUM.

MVltaq́, magnaq́ sunt, qvæ scribis, maxime Quinte:
Atq́ albo inscribi vis Heliconiadū.
Vel Rex, vel Cæsar, vel Juppiter esto; libido
Multa tibi, & magna scribere dum maneat.

AD HYELLAM.

SI fortasse meis dabitur superesse Camenis,
Æternum in nostro carmine nomen eris.
Sin tantum sperare nefas: qvod, Lux mea, fas est,
Æternum in nostro pectore Numen eris.
Illius ergo arrham hanc immó aram, pono, dicoq́:
Qva super uratur mens tibi & ingenium.

DE FILIO JANI DOUZÆ.

NAscere Douzæis promisse penatibus hæres,
Altera lux patriæ nascere, magne Puer,
Qvem pater Aonidâ madidum Pimplæide inundet
Largiús, Æaciden qvám Stygio amne Thetis:
Umbratúmqve hederâ Parnassi attollat in arces,
Qvó nec Mincigenæ fas fuit ire seni.
Ipsa tibi sacri reserat Charis Orgia luci:
Totáqve reclusis postibus Ascra patet.

AD FALCULAM.

CEsserunt hostes domiti: res Falcula, gestæ
Fortiter, invictum te statuêre tuis.

Nec jam qvod timeas, superat: Mars cuncta repres-
Et tibi ad arbitrium contulit omne decus. (sit,
Exsultare tamen nimium cave: prælia restant.
Ut temnas alios, Falcula, te metue.

In Stellionem.

PErpetuas scripsisse notas se, Stellio dicit,
Justinianæi codicis ad placita.
Dicit. sed fronte amissâ qvæ, Stellio dicit,
Dicere Cretensem credite, vel Ligurem.

In Ædilum.

FEmineum genus exosus fugis Ædile: gaude,
Euripidi similem te Deus esse dedit.
Cirratos impendió amans petis, Ædile: perge,
Æagri comes heic, & tibi natus erit.
Pervigil ad Cyathos noctem trahis Ædile: macte,
Hac ipsum æqvasti laude Melesigenem
Desidia ignavus molli fluis, Ædile: qvid ni?
Otia sectatus fertur & anté Maro.
Per furta & plagia ad famam ruis, Ædile: nũqvis
Par tibi & heic? si qvis, Ædile, ne valeam.

Epitaphium L.

Ducati.

SIste gradũ, tumulóqve novos insperge amarãtos,
Faustáqve ter cineri verba preçare sacro.

Hic

Hic spes Aonidum cubat aurea: mersit amores
Hic & Athenææ Palladis & Charitum
Impia non miti mors funere: Lucius hic est,
Ille suæ Ligiæ lux simul, ac tenebræ.
Lux; Aganippæi cúm pèr juga laurea montis
Raptus inextincto lumine eam irradiat.
Nunc contrá tenebræ; tenero cum veris in ævo
Infelix diro concidit interitu.
Ah fatum crudele! quid ah quid acerba libido
Carpere te subiit! vix modo vita suos
Torserat egrediens sextæ trieteridis orbes:
Et taxo visa est digna quati Stygiâ!
Macte tamen juvenis: non te Cocytia mergent
Flumina: non sævi tristior aura Erebi
Illustrem ex merito nebulis involvet opacis.
Mortuus & Phœnix tu tibi verus eris,

AD AMICUM.

Et montes etiam intonsi te absente queruntur:
Mæstáque deciduis silva gemit foliis.
Ante alia abruptos delamentantur amores
Scultenna, undantique avius amne furit.
Sed quamquã exsilio ipsa tuo haut animata movẽ-
Crudior hei nulli, quám mihi, luctus abes! (tur,
Felicem Nioben! bis sex ad busta, dolores
Ponere crudeles facta lapis potuit.

DE MACRINO.

ARgolicum vincit longé Macrinus Homerum.
Qva ratione, rogas? nocte, diéqve bibit.

IN ANTIQVARIUM.

EXhis, qvi vivunt, nullum probat Avila Vatem.
Cui bonus est nemo, qvis malus esse potest?

AD ATTALUM.

CUm tibi sit conjux rarâ pulcerrima formâ;
Miraris: qvare tot tua, téqve colant?
Haut sat, qvó tendant, advertis: an, Attale, mirum est,
Lauté cœnantem si Gnatho Apicium amet?

AD TUMULUM FRANCISCI PETRARCHÆ.

DI tenuem tibi terram, & in urnâ perpetuum ver;
Ardoris nostri, magne poëta, jaces.

DE PHILANDRO.

INgenio florens olim atq; ætate Philander,
Munia tractabat irreqvieta fori.
Nunc senior Musis affectos devovet annos.
Qvám bené Mercurio Calliope apta suo!

CONTRARIUM DE ÆMILIO.

CUm virides Phœbo Æmilius sacraverit annos;
Nunc fora sectatur litigiosa senex.
Mutati caussam studii scis Angele? nummis
In saltu tendit fertiliore plagas.

Hic ſpes Aonidum cubat aurea: merſit amores
Hic & Athenææ Palladis & Charitum
Impia non miti mors funere: Lucius hic eſt,
Ille ſuæ Ligiæ lux ſimul, ac tenebræ.
Lux; Aganippæi cúm per juga laurea montis
Raptus inextincto lumine eam irradiat.
Nunc contrá tenebræ; tenero cum veris in ævo
Infelix diro concidit interitu.
Ah fatum crudele! qvid ah qvid acerba libido
Carpere te ſubiit! vix modo vita ſuos
Torſerat egrediens ſextæ trieteridis orbes:
Et taxo viſa eſt digna qvati Stygiâ!
Macte tamen juvenis: non te Cocytia mergent
Flumina: non ſævi triſtior aura Erebi
Illuſtrem ex merito nebulis involvet opacis.
Mortuus & Phœnix tu tibi verus eris,

AD AMICUM.

Et montes etiam intonſi te abſente qveruntur:
Mæſtáqve deciduis ſilva gemit foliis.
Ante alia abruptos delamentantur amores
Scultenna, undantiqve avius amne furit.
Sed qvamqvã exſilio ipſa tuo haut animata movẽ-
Crudior hei nulli, qvám mihi, luctus abes! (tur,
Felicem Nioben! bis ſex ad buſta, dolores
Ponere crudeles facta lapis potuit.

DE MACRINO.

ARgolicum vincit longé Macrinus Homerum.
Qva ratione, rogas? nocte, diéqve bibit.

IN ANTIQVARIUM.

EXhis, qvi vivunt, nullum probat Avila Vatem.
Cui bonus est nemo, qvis malus esse potest?

AD ATTALUM.

CUm tibi sit conjux rarâ pulcerrima formâ;
Miraris: qvare tot tua, téqve colant?
Haut sat, qvó tendant, advertis: an, Attale, mirum [est,
Lauté cœnantem si Gnatho Apicium amet?

AD TUMULUM FRANCISCI PETRARCHÆ.

DI tenuem tibi terram, & in urnâ perpetuum ver;
Ardoris nostri, magne poëta, jaces.

DE PHILANDRO.

INgenio florens olim atq; ætate Philander,
Munia tractabat irreqvieta fori.
Nunc senior Musis affectos devovet annos.
Qvám bené Mercurio Calliope apta suo!

CONTRARIUM DE ÆMILIO.

CUm virides Phœbo Æmilius sacraverit annos;
Nunc fora sectatur litigiosa senex.
Mutati caussam studii scis Angele? nummis
In saltu tendit fertiliore plagas.

IN QVEMDAM.

LIbertas, pacisqve bonæ bona commoda qvando
Ah iterum terras missa polo repetent?
Impius & demens, tragicáqve agitatus Erinny,
Qvisqvis opes potius, qvàm bona pacis amat.
Mygdonios teneat cāpos, Hermúmqve, Tagúmqve;
Serviat: & Martem qvi colit, usqve colat.

AD VICTOREM GISELINUM.

MOnstrorum genera in numerum qvis cogere spe-
Non tot taurigenæ mella legūt volucres. (ret?
Hic oculo caret, éstqve Gigas: caret auribus ille:
Hic pravo ac turpi corpore pumilio est.
Sunt qvi natura ambigua sint Hermaphroditi:
Qvosdam ad opus neutrum cernimus appositos.
Verúm ut narrando percurras singula, monstrum
Æqvé admirandum, non fuit, est, vel erit;
Ut modó qvod nostris natum regionibus ipsi
Vidimus, horrenda monstrificum specie.
Id qvamvis durum Victor mihi credere: crede,
Vera loqvor. gestat in capite Hyllo pedes.

AD PONTICUM.

VErsiculos facias qvód in hora sæpe ducentos,
Pontice Virgilium te superare putas.
Ne fallas, ne fallaris: non Pontice multa,
Sed multúm scribet, qvi volet esse Maro.

In

IN MILVIUM.

Milvius est doctus. qvid ni? qvi condere libros
Audet & antiqvi prodere jura Numæ?
Sed tamen hic doctus Phœbo sit doctior ipso,
Pagina si plagiis illius ulla vacet.

AD SALVAGUM.

Salvage, dum licuit lumen decurrere vitæ,
Atq; hominum in numero fas fuit esse tibi:
Omnibus invisus, simul omnibus invidus, alter
Ut draco congestas abdis avarus opes.
At nunc te ecce vocat fuscæ Deus arbiter aulæ.
Nil bené fecisti, Salvage: jam facies.

AD PAPILUM.

Filiolum Astrologus tibi, Papile, dixerat unum,
Cœli annuisse sidera.
Ecce duos tua Polla tulit. qvid, Papile, censes?
Vana arte nixum & futili?
Nil minus. Astrologo sua constant dicta: secundum
Mæcha addit hunc uxor tibi.

AD LECTOREM.

INgentes alius, seráque coronide libros
Extendat, numeris ludat & innumeris.
Ipse ego pauca dedi. cui non nisi multa placere
Magna solent, Qvintis gaudeat; hæc mea sunt.

FINIS.

AUsones heic, & Germani Galliq; & Iberi
Qvod demirentur, qvodq; imitentur, habent.

F. N. J.



JANI

JANI

GULIELMI

ROSÆ.

ELEGIÆ.

EPIGRAMMATA.

MANES PALMERIANI.

JANI GRUTERI

MANES GULIELMIANI.



AD JANUM GULIELMUM.

TU GULIELME etiam prænobile Hamadriadum astrum;
Tu Phœbi & Saidos flos, Charitúmqve decus:
Tu GULIELME, inqvam, cor LipsI, oculúsqve Gruteri;
Tu MonavI, inqvam, animus, Bucretiiqve anima:
En Ego Te Elysios raptum ex Helicone sub agros
Mnemosynæ numeris nunc qvoqve sacro tuis.
Scilicet hoc Genius Tibi de meliore metallo
Factus, & ingenuum poscit ita ingenium.
Macte ergo ô juvenum dulcissime! age enthea secla
Metro heic cum Terrèis; mente ibi cum Superis.

CASP. CONRADUS
VratisL.

VIRO ILLUSTRI

HENRICO RANTSOVIO

REGIO IN HOLSATIA VICARIO &c.



O Flos Cimbrorum, Rantſoæ gentis ocelle
Henrice, in primo defixus lemmate, numqvid
Hibernas mirare roſas & præcoqva dona?
Scilicet Aonio qvi florent vertice flores
Non ulla aut anni, aut adverſi injuria cœli
Defectos vegetâ coget marceſcere vitâ.
Inde hoc, exiguum qvamvis, Vir maxime, munus
Mitto; tui miro mentem percuſſus amore.
Námqve tibi incoctum doctrinâ pectus, & arte
Excultum ingenuâ, meritis majoribus auget
Belli potentū atavûm laudes ac fortia facta.
Hinc tua ſe didit varias laus inclyta in oras,
Conciliátqve ipſis populi rectoribus ultró,
Magnanimóqve in primis regi, Danaúsqve, Getesqꝫ.

 Norvagiusq́;

Norvagiusq; hominum extremus, qvem pronus adorat,
Et te Vatem ipsum, certatim adamántqve, coluntq́;
Muséi vates, cultis qvi versibus olim
Vociferabuntur venturis ordine seclis
Virtutis decora ampla tuæ, gentemq́; tuorū:
In qvibus ut non sim; tamen & mea carmina si qvod
Nomen apud seros retinebunt forté nepotes,
Rantsoviorum uná præluitria stemmata dicent,
Et mansura tuis præpandent lumina factis.
Tu mòdó crescentis ne ten via dona Poëtæ,
Majorisq; rudimenta atqve proœmia Musæ
Aspernare; sed, ut consvesti, fronte serenâ
Suscipe, & addictum facilis complectere amicum
Expertem fuci, & veræ virtutis amantem.

JANUS GULIELMUS.

JANI

JANI GULIELMI
ROSÆ.

AH quoties gelidæ media inter frigora brumæ
Suda mihi blandi Veris imago subit!
Et desiderio pellectus, ut anté, vagandi
Priva suis doleo rura jacere bonis.
Nam neq; gramineâ campi ulli in veste virescunt,
Arboreæq; avium stant sine honore domus:
Ulla neqve incultis plantarum surgit in hortis:
Nusqvam formoso lilia de calice,
Nusqvam qvæ reliqvas princeps, regináqve stirpes
Exsuperat folio luxuriante, rosa:
Noster amor rosa, qvæ solis Heliconis in umbris
Pubescit lauris æmula virginibus,
Qvæ mihi odoriferis satiato svaviter auris
Protelo in docto carmine sæpe fuit.
Cúm juvenantem animum primo sub vere juvaret
Inter crescentes ire, redire rosas;
Et modó maturo spoliare rosaria fructu,
Floridaq; in nostras texere serta comas:
Et modó vicinas in vota ciêre Camœnas,
Carminaq; argutis ludere arundinibus.
Scilicet Assyrios alius conqvirat odores,
Et vitam externis ducat in illecebris,

Cui natura ſatis patrio non ſufficit orbe,
Adq; voluptates eſt ſua terra parum:
Me juvet hos luxus, & noſtri ruris inemtas
Interdum priſcé ſumere delicias;
Halantémqve roſam matris decerpere dumi
E ſpinâ, & molli ſæpe fovére manu.
Ecqvid enim ſpiret bené-olentem ſvavius auram,
Qvám roſa, dum vernâ primula ſurgit humo?
Dum caput & blandos alabaſtri pandit honores,
Fulvus & in teneris flos hiat ungviculis:
Illam non Arabum vincant de gramine odores,
Ulla nec extremâ meſſis in Aſſyria.
Illam ſive Venus juſſit mortalibus ægris
E propriis natam ſurgere baſiolis,
Dum fortunatis laté diſſeminat agris
Ignea qvæq; tulit baſia, qvæq; dedit:
Sive Jovi ad cyathos dum præſto eſt forte Cupido
Ah nova inexpertis gaudia cælitibus
Edidit, effuſi per ludum in Chloridos arva
Nectaris, & ſpumæ qvá Venus orta ſatu.
Utcúmqve eſt, certé qvocúmqve é ſemine natam
Ipſa ſuis tinxit Cypria vulneribus:
Dum Dea ſemianimem lethali vûlnere Adonin
Neqvidqvam letho nititur eripere.
Dicite mî Muſæ, & Veneris renovate dolorem,
Ut Dea formoſo tabuit in puero,

Qvem

Qvem Cypro in magnâ patriâ ſuccenſa ſenecta
Progenuit mater Myrrha, eademq; ſoror.
Hic olim matri geminorum fertur amorum
Unus poſthabito Marte fuiſſe dolor:
Illi mane novo comes, illi veſpere ſero
Viſa fuit tenerum claudere juncta latus.
Nec puduit, puerili animo dum Diva placeret,
Hiſpida cœleſti retia ferre manu:
Ah pereat! qvicumq; plagas & retia primus
Texuit invitis ſubdola cœlitibus.
Hinc nata inviti feralia ſemina belli,
Hinc variæ mores corripiêre gradum,
Hinc auro contra dilectum vidit Adonin
Deſerta exanimem rupe jacére Venus.
Illum ſævus aper venantem in montibus altis
Deprenſum raras ſtraverat ante plagas.
Ad qvem luctu amens dum fertur Cypria, ſpina
Currentis niveos pungit acuta pedes:
Qvam ſupra humanæ pendebat debita curæ
Nata ſub hamato plurima vepre roſa:
At Dea triſte gemens mœſtum manare cruorem
Ut videt é rupti vulnere hiante pedis,
Manare & ſparſos divino ſangvine ſentes
Adſpicit: injuſtis multa locuta rubis,
Hæc tamen é mediis enata roſaria dumis
(Flens ait) hæc noſtri ſigna doloris erunt,

Quæq; mihi candore prius, magis inde placebunt
Purpureo duri vulneris indicio.
Finierat lacrumans. at tacti sangvine sentes
Ilicet inversis erubuere rosis:
Ut cum mutarunt pudibundæ virginis ora,
Strictura aut candenti ut rubet in chalybe.
Inde perimmensum sparsæ efflorescitis orbem
Heic illhic folio versicolore rosæ:
Vos tutela Deûm, Venerisq; exinde voluptas,
Et Floræ ante horti cetera deliciæ,
Nec non præ reliqvis Charitum vos triga sororum
Ad labra irrigui nutrit Acidalii,
Et vos Bacchus amat; primus fragrantia Bacchus
Expressa é vestris vina bibit foliis,
Expositas magnorum ad pulvinaria Divûm
Instituit sanctos pacificare Deos,
Qvin sertis simul intextas halantibus idem
Intulit, & mensis intulit & choreis.
Qvid loqvar, ut dubiis langventia corpora morbis
Protinus admotâ restituatis ope?
Utq; nec officio vestro, justisq; supremis
In durâ miseri destituamur humo,
Aonisinq; bono ut soliti pro carmine vates
Sertarum é malicis texta viere rosis.
Vos ego perpetuo, si qva est ea gratia, dicam
Qvalicúmqve mei carminis obseqvio,

Incedámqve

Incedámque rosis evinctus tempora vernis.
Vos ego dum plenis naribus olfaciam,
Ne mihi sit nimium sectari ungventa; sed ipsam
Arabiam, dites despiciámque Syros.
Et tamen ut memini, blandis cúm pascerer auris,
Æstivusq; siti finderet arva canis:
Quæ matutino viguissent sole, repente
Deciduas medio deperiisse rosas.
Una dies tantum terris monstrarat honorem,
Atq; eàdem abstulerat (proh dolor!) una dies.
Fallor an, & doctis sic apta juventa Camœnis
Labitur, & numqvam póst reditura fugit?
Aufugit utilior, subrepit inertior ætas:
Ut spineta rosâ deficiente manent.
Qvisqvis es ergo rosæ blando oblectatus odore,
Sis memor ut vitæ sit brevis hora tuæ.
Te juvet á primâ coluisse Helicona juventâ,
Si sapis, atq; artes addidicisse bonas.
Cuncta rosæ pereunt instar mortalia, sola
Quæ parta ingenio est gloria, morte caret.

JANI

ELEGIÆ.

IN JUSTI LIPSI TACITUM.

MNemosides Divæ, nostros qveis detuli amores,
A puero vestris deditus in studiis,
Una hæc servitii, si fas est, præmia posco,
Si vos rité olim lacte, meróqve colo:
LIPSI magnum animum priscâ virtute, fideq́;
Ut mihi vos proprium concilietis heræ;
LIPSI, qvem primis multúm miratus ab annis,
Omnijugas stupui fundere mentis opes;
Cornu ut Amalthex, manantibus ubere fundo
Messibus, annum horno copem ab honore beat:
Qvód Vates, Rhetorq́; bonus, summusq́; cluéret
Antiqvæ condus promus & historiæ;
Addo huc Socraticamq́; penum, Romanaq́; jura,
Cetera, vobiscum qvæq́; Minerva probat.
Testes prisci operis musæo emblemate structa,
Qvattuor in conum erecta voluminibus
Tot moda qveis veterum ruta cæsa, & cæca retexens
Oracla, electis multus & historiis,
Ægra catus sanis dispescere, turbida apertis,
Seu medicam, sive interpretis addit opem.
Qvid memorẽ Taciti monumenta augusta librorũ
Tot miseré pridem manca & hiulca locis,
Integra, qvá potuit, nunc tandem? cui tamen ultró
Majus adhuc operæ constituit precium

Adjicere;

Adjicere; é tenebris veterum dum plurima morum
Promit, & in purâ luce videnda locat:
Aut tentata aliis, post conclamata, natator
Delius, admittente eruit unus avi.
Gaude CORNELI, *si qvidqvam in funere sentis,*
Qvæ dederas cunctis jam manifesta patent;
Qvæq; illis passim cariosa admorderat ætas
Dente malo, medicâ convaluêre manu.
At tu Musarum, LIPSI, *illibata medulla,*
Attica cui puro nectare vena fluit,
Perge tuos facere, & bené devincire merendo,
Qvi sumus his tecum turba operata sacris.
In qveis (namq; nefas faciles tibi spernere Musas)
Me tibi habe, seu tu fœdere amicitiæ,
Sive clientelâ, seu mancipio endopeditum,
Seu qvacúmqve voles conditione, tuum;
Qvo tu jure tuo, precor utere. ne mihi qvisqvam
Heic duit, impositis vindicias manibus:
Qvin usum fructum nostræ, doctissime, vitæ
Si tibi perpetuo carpere servitio;
Qvem tibi mansurum, summotâ ut fraude spopondi,
Et Sanci & Genii numina juro tui;
Si fallo, ex hominum cœtu in te stabilem uterq;
Ejiciat; doctis hic procul, ille bonis.
At Vos Mnemosides, JUSTUS, *si justa paciscor,*
Perficite, ut coëat fœdera, & ut valeat.

AD FRANCISCUM MODIUM DE Q. CURTIO EMENDATO.

II.

SI mihi se facili indulgerent numine Musæ;
Et mea Castalius tingveret ora liqvor :
Non ego, culte MODI, *fulvo te divitem ab auro,*
Aut canerem priscis nobilem imaginibus :
Sunt magna hæc fateor, sed me majora tenerent,
Mirantem illa tui dona beata animi;
Et morum decus, & rarum virtutis amorem;
Utqve tuis habitet Svada benigna labris;
Utq; tua antiqvis committas scripta Poëtis,
Præcipué & grato lucis honore libros
Defectos, dias referens ut promus in auras,
Emendes nævis innumerabilibus.
E qveis ille olim Romanâ clarus in urbe
Jam tandem niveis editur alitibus
CURTIUS, *in Persas Macetûm qvi bella tyranni*
Aspera non humili condidit historiâ :
At miseré truncus lucem vix hactenus ipsam
Pertulit; obscuris aut potius tenebris
Delituit mersus, velut huic non nomine dispar,
Non animo, patriis montibus occulitur.
Ex qvo pistulio DIS *missus manibus, atrum*
Insiluit (miser ab hac pietate !) lacum.

Non

Non illo vivus magis aut magis incorruptus
 Anté fuit Macetûm conditor historiæ :
Qui nunc mendorum purus, sanatus & omnia
 Membra, tuâ totus pené revixit ope.
Horum Ego præco essem, sed Musæ sæpe vocatæ
 Teq́, tuumq́ animum linqvere velle negant,
Totq́ tibi Virtus qvos conciliavit amicos :
 Inprimis, cujus pectore numqvam abeunt
DUZIADEN; Satyrâ vitiis qvi bella minatur,
 Clarus avis, magno clarior ingenio :
Téqve decus secli, LIPSI, admirabile nostri;
 Cui debent, qvantum vix alii, studia;
Belgica qvo famam tellus æqvavit Olympo
 Cedere se & dominæ jam negat Ausoniæ;
Et te care mihi ante alios, carissime Phœbo,
 Doctrinæ & veteris, CARRIO, sacra penus;
Te qvoq́, LERNUTI, tenero cultissime versu.
 Sive elegis mavis ludere, sive lyrâ;
Qvosqve alios numero non est comprendere, post
 An cuiqvã prudenti hiscere qvid lubeat? (qvos
Non mihi. ne blandos inter strepere anser olores,
 Et videar laudes atteruisse tuas.
At tu macte MODI, tantis stipatus amicis,
 Hoc animo, hoc fructu divitis ingenii.
Nec te deficiat tenero certare Tibullo,
 Et par Romano ludere Callimacho:

Nec

Nec doctos, veterum divina reperta, libellos
In lucem é longo restituisse situ.
Sic tibi major honos crescet, crescentibus annis:
Ille tua æternis nomina nominibus
Inseret: ut criticos inter, serosq; Poëtas,
Te quoque posteritas nescia ne taceat.

IN SPICILEGIUM
JANI MELLERI.
PALMERI.

III.

VIderat hæc illis oculis, quibus Ælia quomdam
Calliope, & noctes, Varre operose, tuas:
Viderat; &, cuinam ô tanto pôst tempore lucet,
Quod periit, dixit, qui periisse vetet?
Quis spem ægrotantem nostram, miserásque sepulti
Relliquias Latii non sinit esse nihil;
Intactas vulgo, Aonii dum trita vagantur
Campi: nec cum ullo scripta Deo vigilant?
Scilicet id spicas legere est? anquirere id uvas?
An magis auctumnis horrea fertilibus
Densare, ut fœtóque obstetricarier anno:
Messorum bardas vellere & auriculas?
Et jam sera iterum dubiis cuppedia mensis
Dapsilior variâ se referet Cerere:

Crispi

Crispi qvincunces, & blandi culta Terenti
Rursus honoratos ejicient calamos.
Qvid loqvar aut inter Cari lucata vireta:
Aut, modó nulla, Atti jam rediviva sata?
Inclute Pythagora: sic sint tua vera reperta,
An Plautinam animam huic insinuasse rear?
Sic reor: agnosco nullâ non arte politum
Pectus, & argutos, gaudia nostra, sales.
Ac numeris veterum certantia carmina Vatum:
Qvæ (hos oculos tango) me juvet esse mea.
Jam veró, ad Tulli cúm illum tulit impetus artes,
Mentior? an Clodio se minor arma qvatit?
Qvid? vice sermonis, cúm astricto seria socco,
Et joca percurrit, qvo ciet ore sonos?
Ut celer in pugnum se colligit? ut rotat usq;
Sermonem? ut similis volvitur ipse sui?
Ergo ô deliciæ juvenum, qvis Castalis unda
Perpetuó sacram fronte ministrat aqvam,
Qvæ tibi, qvæ tali pro munere munera reddam?
Namq; ubi purgatus se tibi debet ager:
Inprimis Plauti: qvem ipsæ consevimus, in qvo
Consveimus nostris qværere honorem epulis.
Vellem eqvidem, & meritũ scio, cujus Lydia Creso,
Ac gemino Cresi conscia Roma fuit:
Sed mihi non gazas, non vulgi munus, honores
Est dare: scis alias hæc dare munera heras.

F Qvod

Qvod reliqvum est, vinces lethum, invidiaq; fatēte
Primus in Ascræâ messe colonus eris.
Non tibi se orator, saxo, non se tibi Vates
Præferat, aut critici, tertia cura, labor.
Victurumq; omnes clarabit adorea in annos,
Dedita ad Hesperidum, Mnemonidumq; domos,
Talia Calliope: assensu fremuêre sorores:
Omnia sic cedrinis sculpsi ego corticibus,

AD JUSTUM LIPSIUM.

I V.

V*Ellem, dividerent non tot nos millia,* LIPSI,
Dispernunt Ubiis *millia qvot Batavos:*
Non ego commissem mutis mea verba tabellis,
Hei desiderii conscia verba mei!
Corám melli esset sermones cædere tecum,
Et bibere attonitis mutuum amorem oculis,
Nunc qvid agam? prohibentq; viæ prohibentq; pe-
Plurima ab hostili qvæ metuenda dolo: (ricla,
At nil certé animos umqvam distraxit amicûm,
Qvos germana pio vinxit amore fides.
His certé uná erimus, non nolis tu modó, LIPSI,
Méqve tuum puro si modó amore coles.
Qvod facies. nec enim te, JUSTE, *serenior alter*
Dicitur, aut canâ carior esse fide;

Nec

Nec cui post Sophiam sit amicior aurea virtus,
Nec cui post Musas plus Charites faveant.
De me, mî certé penitus penetrare medullas,
Et potuisti imo te illatebrare animo,
Unde dies nulli, nulli te extrudere amores,
Non mors occasu possit avara meo.
Vivit enim semper post ultima funera virtus,
Et sibi cognatis pendet ab usq; bonis,
Nec cum mortali studia immortalia vitâ
Parcarum rapidam fas temerare manum est.
Sed qvibus aut Musis cessare ætate in agundâ,
Aut illibatæ cura fuit Sophiæ,
Mens eadem post fata manet: semperq; beatis
Ocia pacato dantur in Elysio.
Heic me sive Sophi stipabunt agmine casci,
Sive piis medius Vatibus ingrediar:
Narrabo Superis, unum te vivere, L I P S I,
Qvi Vatum princeps sit, Sophiæq;, locis.
Et dicam, Cicero licet audiat, ipseqve Varro,
In te Varronem cum Cicerone loqvi.
Interea autem heic dum vegetâ perduxero vitâ,
Ardebo in nostro semper amore recens:
Nec me deficiet de te meminisse, tuumq;
Promeritum in vates, historiásqve loqvi.
Ut per te riguâ restingvat ab Hippocrene
Uberius sacram Musa Latina sitim;

Ut veterum mores, te producente, virósque
Pené oculis sit contingere, pené manu.
Ut non jam tacitus Tacitæ pater historiæ
Germanos iterum vociferetur avos,
Et tibi Cæsaribus volvenda in secula mistò
E quercu porgat civica dona sacrâ.
Nam tu, JUSTE, salus illi, tu vita fuisti,
Semianimi longo depositóque situ:
Membra senescenti cúm putiscentia tabo
Felici Chiron es medicatus ope,
Inductúmque novis renovato in corpore succis
Doctorum misti rursus in ora Virûm:
Custodes juveni ponens doctósque, catósque,
In caro vigiles assiduos latere;
Ne fera barbaries mulorum; extorsque libido
Mordicibus sacrum scinderet historicum;
Aut barbatorum gens horrida Grammaticorum
Impeteret versis postmodò, ut anté, stylis.
Non secus, ut fama est, felicibus Æsona plantis
Phasias in pueros transdidit ante-senem;
Illi etiam tenero fertur Medæa Magistros,
Illi etiam comites adtribuisse suos.
Felix! vitalem cui bis decurrere campum,
Et reditum à metâ fata dedêre novum.
At tuus hic, LIPSI, Tacitus felicior. illi
Circumiit nihilo mors minus atra caput;

Huic

Huic æterna dehinc, te procurante, juventā
Non defecturæ lucis & usus adest.
Hæc ego, quæq; tibi debemus cetera docti,
Quo potero semper commemorabo sono.
Quod si etiā inter nos, video ut non nolle, meabunt
Scripta per alternas missiculata vices:
Efficiam certé, ne te constantius ulli
Néve fide videas candidiore coli,
Neu tibi qvid rerum possit latuisse mearum,
Neu pars officii claudicet ulla mei.
Non ita sopitos infusa resuscitat ignes
Pallas, & in vivâ calce refervit aqva;
Qvanto laxatos protelo intendit amores
Nuncia disjuncti littera colloqvii.
Qvare qvód tua non offendat commoda, LIPSI,
Hanc operam caræ surripe amicitiæ.
Méqve, satin salvæ? scitare freqventer, & isthic
Vos etiam recté vivere significa.
Qvæqve modo elimes Musis affecta secundis,
Qvæqve parata foras scripta operosa feras:
Et qvibus auspiciis Ledæis abdita lucis
Belgica Pieriis tesqva rigentur aqvis,
Et si qvid docti vis incinat enthea Duzæ
Qvod memoret sero tempore posteritas,
Duzæ, cujus amor tantum mihi crescit in ævum
Et Phœbi qvantum crescit & Aonidum.

 Omnia

Omnia quæ mihi mox rectè ut perscribere possis,
Et validè nobis, & tibi, JUSTE, Vale.

AD AURORAM.

Cúm in pago quodam Vestphaliæ pestis metu insomnia noctu vexarer.

V.

AH me! quænam animi infelicem insomnia mentem
Sollicitans hinc, isthinc, aliunde, agitat?
Ut medio quamvis nocturnus in æthere somnum
Advocet humanis sollicitudinibus,
Ipse tamen curâ adjectus mæstóque timore,
Cunctari sævas multa querar tenebras.
Nec me hesternæ angunt fastidia cenulæ, & atrum
Furfur, & incocti rustica vappa, malè;
Nec quod molle latus squallentia grabbata radunt:
Magna ea semiruti munera sunt tuguri:
Nec gravidæ latrone viæ, quem Belgica hiantem
Dimisit patriis montibus exitium:
Sed mihi quod pestis, furiarum maxima pestis,
Imminet, ha lateri proxima penè meo.
Illa suis pagum fertur viduasse colonis,
Et miserè hanc etiam depopulasse casam.
Illa angens me cura omnes oculis expellit
Somnos; dum vanes mi ipse ego fingo metus,

Et

Et furiæ adventum paveo horridus, omnibus inque
Hesuram, immo herere autumo jam articulis.
Me miserum! ánnè viæ in causâ est solum inter-
Qvód genua & tremuli cõdoluêre pedes (vallũ,
Omnia qvód langvent lassato in corpore membra,
Pallidulam turpet qvód macies faciem.
Ha patria! ha qva te vestigem parte Lubecum?
His ne ego te posthac patria terra oculis
Conspiciam? vel te saltem Agrippina videbon?
Qvæ mihi tot caros conciliasti animos
Doctorum Vatum: téne ô carissime POSTHI,
Cui niveo assiduus pectore candor habet-?
Téne ô PEKIADE *pullum Phœbi atqve sororum,*
CARRIÓQVE *& fratris qvi mihi* AHALA *loco es?*
An MODIUM, *an* PAPIUM, MARIVORDAM, LAUTIUM, *& illum*
MELLERUM *Almanis nobile sidus agris?*
Et te PETREI, *cui debet Græcia, debet*
Emendes tandem Tullius ipse libros
Vósne, satin salvæ? salvo ipsi corpore tempus
Ullum erit vt reduci sit rogitare mihi.
Atqve adventitiâ traducere tempora cenâ,
Optatóqve iterum pascier alloqvio.
Ah erit: illa animum spes unica rellevat ægrum,
Ne curarum undis succubuisse velit.
Tu modó diva pudoricoloribus aurea pennis,
Tu modó purpureum diva, age, redde diem.

Nec tibi sit tanti Tithoni lectulus, ut me
Destituas mediis, impia, funeribus.
Sic tua sancta fides thalami, me Vate canetur,
Ut foveas roseo diva senem accubitu.
Ille etiam vitæ immortalem est aptus honorem,
Optati compos te tribuente sui:
Demens quem non perpetuæ quoq; læta juventæ
A facili subiit munera te petere.
At nunc decrepitus quamvis, par cetera divis
Nectar & æternam pascitur ambrosiam.
Complexúque tuo frigentia membra fovetur;
Nec tibi cum capulo est concubuisse pudor.
Quin ultró incusas properantem cedere noctem
Aethere, tám longâ non satiata morâ:
Et licet incuses, nunc formosissima saltem
Mane novum properis accelerato rotis,
Ad laudésque tuas festina accedere. cessas?
Ergo alia nobis, dura, vocanda via es.
Ipse etiam Cephalum novi. sed st: aut ego fallor;
Aut tener occiduo purpurat orbe polus.
Purpurat, haut fallor: thalamum pudibunda reli-
Nempe Dea ad Cephali nomen, & erubuit. (quit
Ne metuas Dea magna, ego ne tua furta retexam,
Non adeó me omnis deseruit pietas.
Tu saltem invisas dispellere perge tenébras,
Et me pestiferis eripe, sancta, locis,

Túque

Túqve Molane, mei consors, sociúsqve laboris,
Qvo duce tam longas sustinui ire vias,
Surge, agedum in tantis nimium secure periclis
Surge, nec in mediâ stulte morare lue.
Hos fugiamus agros, non fortunataq; rura,
Nos virosa etiam ne furia inficiat.



EPIGRAMMATA.

In Apollinem.

PHæbe pater, ſeu tu Deus es, ſive auricomus Sol,
Et Solis donum eſt, & valitudo Dei.
Corpora Sol vegetat divino vivida ab igni,
Ortáqve ab æterno ſunt bona cuncta Deo.
Sed qvemcúmqve pater te jus eſt, ſasq; cluére,
Reſpice perpetuo me bonus auxilio.

In Eumdem.

QVis mihi præferri poſſit Deus? eſt bene-factis
Et meritis homini ſi Deus ullus homo.
Nil animo melius, nil vitâ carius: illum
Expolio vates; hanc tueor medicus.

In Æsculapii ſtatuam.

QVæ ſtatua? Aſclepi. cur bini hinc inde dracones?
Inſomni ſuperandi hi medicis ſtudio.
Ipſe ſenex: vitam tuitur. fert laurea ſerta:
Hæc qvoq;, uti medicis, tetra venena fugant.
Nodoſum cur dextra pedum tenet? haut facul artẽ
Diſci tot ſeptam amfractibus indicio eſt.
Inſulam habet: nympharum & ſobrietatis amans eſt.
Cerno canem: expoſitum nutriit illa Deum.

Hoſtia

Hostia cur capra est? auctori nempe salutis
Perpetuæ pœnas febris alumna luit.

IN CHIRONEM.

HErba solo, sidus cælo, inq; animantibus ulcus
Me Physicum, Medicum clamat, & Astronomũ.

IN HIPPOCRATEM.

HErculis, Asclepiqve nepos feror. ille feris nos
Eripit; hic morbis: hic genio; ille manu.
Ipse manu virosa levo dum vulnera, morbos
Ingenio, egerunt qvod duo, solus ago.

IN HEROPHILUM.

HErophilo herbarum dederat vim nosse Phœbus,
Et sua contulerant munera Pierides,
Hinc vates, Medicúsqve fuit. qvis credat? acumen
Obfuit, & vegeti vis nimia ingenii.
Hoc Medici culpant. sed te hac, doctissime, cùm vix
Culpâ qvisqvam, ecqvis laudibus æqviparet.

IN ASCLEPIADEN.

QUis Te Asclepiade taceat? seu Rhetora, seu te
Esse rear medicum: sed potius medicum.
Qvem te esse haut alios servando ita dive probasti,
Qvám tua qvod nullâ victa senecta lue.

Pluto

Pluto indignatus tardos descendere manes;
Te remoram scalis dejicit, & moreris.

IN ANTONIUM MUSAM.

MUsa, tibi Augusto servato Roma fatetur
Debere, auratæ testis honos statuæ.
Felix ô, si itidem defendere cetera posses,
Nec tibi Marcelli balnea probra forent.
Jam sive error inest facto, seu terror herilis,
Culpa animi hoc, illo proditur ingenii,

IN CL. GALENUM.

SAlve, sancte senex, medici laus altera fundi,
Par Phœbo, & Coo non minor Hippocrate:
Invenit ille artem, tu perficis: ingenii illhic,
Judicii heic fuerat uberioris opus.

IN THESSALUM
τὸν ἰατρονίκην.

THessalus heic jaceo, medicûm de gente tropæo
Adjecto cippis Appia longa tuis.
Plorate ægroti, mecum medicina sepulta est,
Quæ vivo vixit me, moriente obiit.

IN EUMDEM.

QVi medicinæ audit victor, num tradidit artem,
Ille orbi, an, victor quod solet, eripuit?

Hoc

Hoc potius testis vel milliûm Claudius instar,
Et titulus vacui certa fides capitis.

IN ALEXANDRUM TRALLIANUM.

PAtria Alexandro Tralleis, domus inclyta Roma,
Ars eadem, qvæ fratri medicina fuit,
Ætas qvæ regem venerata est Justinianum.
Hoc satis. ingenium scripta operosa docent.

IN VITAM HUMANAM.

DEmocriti vita hæc evanida perpete risu,
Heraclitëis pingitur & lacrimis.
Sollicitumne metu mage qvid, spe vanius? at nos
Inter spem miseri vivimus atqve metum.
Rectè ergo illi auris & noctis inanior umbris,
Huic visa est tristi tristior helleboro.

IN M. ATTIUM PLAUTUM.

MArce Atti, sanctámne rear te Cyprida pullum
Eduxe? an Paphio, an Idalio in nemore?
Inde adportasse Hyblæo mage dulcia melle
Verba, & Acidaliis ebria deliciis.
Sic certé est. testes tua vel ruta cæsa poëtis
Omnibus unum omnes subripuisse sales.
Et qvid, verba habeas si nupta? venustior haut est,
In placito qvám cúm ludit amore venus.

In

In Symbolum
JACOBI MONAVII
IPSE FACIET.

FRustrâ sollicitis, mortales, parcite curis,
Nam FACIET certè, qvod volet, IPSE Deus.
Hoc animo scriptum retines sapiente, Monavi,
Et retine. fac nos velle, qvod ille facit.

IN IDEM.

QVò ruitis curis miseri, cassóqve labore?
In summum satius spem posuisse Deum.
IPSE Deus FACIET, Monavi sapientia clamat.
Invito frustra est cura, labórqve Deo.

IN IDEM.

IPSUS AIT, solitos scio dicere Pythagoræos,
Tu, Monavi, qvanto rectius! IPSUS AGET.
Fallere Pythagoras potuit homo: Regula veri
Christus qvidqvid ait consore, certus aget.

IN IDEM.

ESto tuis studiis DEus unicus, unica meta
Qvod cupis effectum, si volet, ille dabit.
Seu gaudes felix, metuens sis illius. haut te
Tu fortunatum, solus at ille facit.

Sive

Sive doles crepero rerum in discrimine, fide :
Si pius es pro te nam facit ipse Deus.
Hoc qvoniam sedit penitâ tibi mente, MONAVI :
IPSE, tibi æternum qvi bené sit, FACIET.

AD DANIELEM RINDFLEISCH BUCRETIUM.

CErto sodali certius nemo bonum,
Nec dulci amico possidet jucundius :
Hoc hilaritatem perficit consortium :
Hoc mæstitatem deterit salatium :
Hoc continetur tota vita commodo.
BUCRETI, amicos qvot fideles obtines,
Tot obtinere te Smaragdos autuma.
Dolus modo absit, & duplex versuties,
Adsit fides & in bono consensio,
Germanicáqve pectus albicans nive.
Carbunculus sodalitatis est FIDES.

AD ALBERTUM CLAMPIUM.

CUm tibi fraterno memet devinxerim amore,
Cum tibi me fructu, cum tibi mancupio
Totum tradiderim, Clampi, qvid inania verba,
Et præter propter carmina fusa petis ?
Χρύσεα χαλκείοις *igitur mutare placebit ?*
Redde data, & numeros vel tibi mille dabo :

Aut si illud non vos, hoc desine poscere, si non
Me tibi qvando dedi, tunc tibi verba dedi.

CAPRA LUPI NUTRIX
E GRÆCO.

Hisce lupi uberibus (miseram me) lacto catellum,
Invita, imperio desipientis heri.
Hac ope succrescet fera rursum in me ille futurus.
Ingenuum immutant nec bene-facta malum.

IN ROSCIUM.

Multa legis, Rosci. nam civica jura, Poëtas,
Rhetoras, historicos, Grammaticosq; legis.
Verum horum capias cùm vix millesima qvæqve,
Multa aliis Rosci, sed mihi pauca legis.

IN ONNUM.

Dum spurco ore cies & nigro scommate risum,
His ego sum gerris, Onne, facetus ais.
Frustra es, rideri soli si rere faceto:
Morio sic nempe & scurra facetus erit.
Falsa tuis igitur dare nomina desine factis.
Namqve ego te fatuum vel puto tritalogum.

IN EURIPIDEM.

Tot tibi mellifluo manant sententiæ ab ore,
Qvot numeri, aut plures his etiam, Euripide.

Hoc

Hoc de te Arpinas, ſed mecum, dixit: & arte
Aoniâ qvotqvot Dii poliêre, potes
Atteſtantur idem. tu macte hoc poſteritatis
Judicio felïx poſt tua fata ſenex.

IN EUMDEM.

EUripides ſimul inclinans caput exſpiravit,
Emoritur tragicæ qvidqvid erat Veneris.
Ubertim patriæ flent Græcia Græciæ Athenæ.
Exuviis lauſum dat Maceta & tumulum.
Nomen ab exſeqviis clarére magisq; magisq;
Viderat, & viſo tabuit invidia.

AD JANUM PALMERIUM MELLERUM.

QUám brevis heic datus eſt, Palmeri, fructus homullis:
Qvos Cuninæ ipſi Morta propinqva rapit.
Non igitur ſemper ſtudiis vigilare ſeveris,
Ceſſatum interdum ducere fas animum:
Et bené curato officio vinoq;, jocóqve
Qvod datur, id famâ non reprobante datur.
Natalis meus eſt, huic te jus voce favére,
Et; bené te, ſumtis dicere jus cyathis.
Uná ſimus ai. ſtat duram exporgere frontem.
Invita eſt dulci qvæ ſine vita joco eſt.

G. *Imitatio*

IMITATIO AUSONIANA.

Méne etiam Ausonii lusu contendere sit fas ?
Atqve animũ qvestus proferre sub altisonũ cœl,
Dum mala multa ævi præsentis secum agitat mens.
Qvidnã est qvo regna atqve urbes stant incolumi?
Qvótqve arté jungit populos & consociat? jus.(lex.
Illa ut sarta duat, præponitur imperio rex:
Floreat vt pace atqve viris & divitiis urbs.
At nostris odio est & regibus & ducibus jus,
Munimenq́. unum jam creditur imperii vis.
Hinc expulsa Deûm pulcerrima longé abiit pax,
Et fremit emissis bellorum fulminibus Mars;
Et male-svada furit mediis in funeribus lis. (spes.
Tantis ámne malis reliqvum ullum est confugium ?
Sed taceo. haut tutũ est contingere in ulceribus pus,
Et digito os cludens pater annuit Hippocrates st.

In novas ædes
JOAN. LAUTERBACHII. P. L.

Castalides vobis has Lauterbachius ædes
Dedicat, & vestris, qvotqvot ubiqve, choris.
At vos ô Musæ crescentem augere poëtam
Pergite carminibus, pergite divitiis.
Invida pallenti rumpantur ut ilia Codro,
At vester vobis usqve Poëta canat.

IN EASDEM.

VT decet hoc Musæ, sic vestrum habitare Poëtam,
Nec modó vos versus, sed qvoq; tecta dare.
Invidus heic macros corrodit Mævius ungves,
Et secum, haut Vatum est ædificare; canant.
Nec malé: culta novo sed carmina sunt lare digna,
At tua limosâ turba coaxet aqvâ.

DE SE ET P. PECKIO P. F. elegantissimi ingenii Puero.

OMnes se dicit memorem mei Peckius annos
Victurum & nostræ dulcis amicitiæ.
Dicit, at ô Musæ quod dicit Peckius, hoc ne
Efflaat oblito, sæpe monete, animo.
Ipse qvoqve, ætatem Pecki pro numine nomen
Mi fore sub memori pectore polliceor.
Polliciti at si parva fides, haut deprecor ipso
Expelli furcis Aone ab Aonisin.

IN ROSCIUM.

BEllus homo es Rosci. qvid ni? cui lingva tacere
Nescia verborum tot moda suppeditat.
Sed tamen hic bellus verbum si dixerit ullum
Qvod conspersum aliqvo sit sale, ne valeam.

IN MATREM SPARTANAM é Græco.

E pugnâ fugitivum, interfecto agmine, natum
Spartana, ah partus immemor! interimit.
Nempe suum Spartă germanum agnoscere sanguen
Bellatorum animis, non genere aut proavis.

IN NÆVIUM.

QUid dicam, Nævi, qvare rabidi impete rictus
Nil meritum allatres meq; meumq; caput?
Fallor, an á vero non errat devia fama,
Transversum fastu te rapi & invidiâ?
Hinc œstro qvasi percussum bacchârier omnes
Promiscam inq; bonos, ut lubet, inq; malos.
Sic certé est. clamat lingvæ petulantia, morbo
Curando esse omnem non satis Anticyram.

DE AMORE é Græco.

NE lacrymis spera flammam restingvere amoris,
Flamma ea pauxillæ cedere nescit aqvæ.
Auro semper amor medicante vigebit: at idem
Nec medio nascens obrutus est pelago.

IN AVILUM.

DIfferri populi me vocibus, Avile gaudes,
Déqve meo tibi sunt parta tropæa malo.

Ipse tua & vulgi deliria rideo, dum mens
Hæc sibi nullius conscia flagitii est.
Hac ego fretus ovo. nam si non est potis á me
Præstari plebis fabula, culpa pote est.
Tu miser absumtus semper pungentis ab æstro
Invidiæ, ah mihi qvám supplicium acre dabis!
Scilicet uno isto furia hæc non pessima, semper
Exest cultores perdit & ipsa suos.

In Onnum.

ROgatus elavisset Onnus ut nummis,
Medico, inqvit, æger omnia mea transcripsi.
Qvid, alter addit, ergo tantum erat morbi?
Vinaria hospes, inqvit Onnus, angina.

In Paliscanum.

SEptemtrionum filium Paliscanum,
Pestem voraginosam patrii Zythi,
Intercute errat, qvi perisse aqva credit.
Nam dum helluatur & bibit diu noctu,
Pransus paratus, sed probé qvoqve appotus,
Inter cutem stagnante flumine est mersus
Non sobrio undæ, sed phrenetico Zythi.

In Aulum.

REcté ne te omnes, Aule, divitem jactant?
Recté, inqvies, me; cui tot arca nummorum

Domi est beata millibus: tum agri tantum,
Quantum nec Afra Didûs byrsa circumdet:
Huc adde merces orbe ab extimo advectas,
Hibericam, Indicam, Mosciqve pellitam.
Reipsa tamen te heic, Aule, pernegas ditem,
Qvi ut infimum mendicimonium popli,
Famis (miser) metu harpagas, clepis cuncta:
Atri bolum ipse & invides tibi panis,
Scrutarióqve pro togâ obsitâ pannis
Multa anté qvestus, vix teruncium solvis:
Obolo qvám amicum subleves, mori mavis.
Decoctor intervertit interim sumti
Te fœnoris, grandiqve sorté & usurâ,
Colonus agrorúmqve subripit fructum,
Servi negociantes & suum abradunt.
Tibi nempe es Irus, Aule, ceteris Plutus.
Nam qvi utitur, non qvi incubat bonis, dis est.

AD MUSAS
DE J. PALMERIO, ET F. MODIO.

Qvonam herere loci putabo Musæ
Jam Palmeriolum meum & Modillum?
Vestras delicias, meásqve, an illum,
Ut decreverat, horridas per Alpes
Europæ Italium petisse sumen
Rebor? an residem Mogani ad oram

Illa

Illa illa aurea publicare ſpica,
Queîs plura aut meliora nemo légit
Horto ex Aonidum Allemaniarum.
Filius, critices mala impetigo
Quemcúmque attigit incitante pſora?
Anne hunc Franciacis novum hoſpitem agris
Vos abſtraxe ſimul putabo? & amnes
Docto carmine ſiſtere, & ferarum
Delinire animos, & eruditas
Aures indere, uti ſolebat, ornis,
Dum caſum patriæ ruentis, & tot
Deflet capta, cremata, disque-jecta
Pridem mœnia, nomina alta deinceps.
At vos, ſint ubicúmque, ne ſodalis
Jucundi immemores agant, monete
Et Palmeriolum, Deæ, & Modillum.

AD JOAN. POSTHIUM Archiatrum Herbipolitanum.

Poſthi dulce novem decus ſororum,
Poſthi cui medici politiores
Adſurgunt medico politiori:
Ultró cui, citharâ lubente, Vates
Summittunt numeros, bono poëtæ;
Gratias tibi quotquot usquam & usquam
Dico, quód lepidum meum libellum.

Non cultis modó versibus decôrum;
Verum insignibus & tuis superbum
Cupisti magis, & magis placentem
Meâ sæpe manu teri, legíqve.
O insignia nobilis Poëtæ
Rara Juppiter & sereniora!
Ut vos exuviæ oscinis secundæ
Plumæ tergeminæ lubens adoro!
Ut te buccina! qvæ ministra Posthi
Doctrinæ & genii beata dona
Laté notificas canore vasto, &
Didis postgenitûm omnibus, qvot umqvam
Musis suspicient Apollinémqve.
Et tu Laurea frontium corona
Doctarum, ô hederæ soror gemella!
Ut insignibus optimi medentum
Pulchré convenit, optimíqve Vatum
Frons tua exitium mali veneni!
Frons tua emeritæ qvies Camœnæ.
Tu veró in medio citate campo
Qvi venare decus perenne, Posthi,
Et laudem omnibus á bonis perennem,
Cornu perpete personans, qvod omnis
Præsens audit, & inseqvens nepotum
Surrectis bibet auribus propago:
Macte insignibus, ingenI politi

Veris

Veris testibus, aureæq; mentis,
Virtutum & studii severioris,
Et mori indocilis tuæ Camœnæ:
Macte his dotibus, & meos phaleucos,
Sudanti calamo modó exaratos
Malé atq; illepidé meos phaleucos
Lubens suscipe, qualecúmque munus;
Mei mnemosynon fidele amoris,
O novem decus unicum sororum!

ORACULUM DATUM LAJO THEBANO.

LAi Labbacide, thalami me pignora poscis,
Et tibi mascla dabo. at manet irrevocabile fatũ,
Gnati casurum te dextrâ. hoc Juppiter ipse
Infandis victus diris Pelopi annuit, ex quo
Carum illi natum eripuisti; inde hæc rata vota.

ÆNIGMA SPHINGIS.

TErram animans quadrupésque, bipesq; habet, unius oris;
Et quandoque tripes: genium mutabile solum
Omnium humi quæ sunt, perq; æthera, perq; profundum.
Pluribus at properum pedibus cúm insistere cœpit,
Destituit vigor infirmos evanidus artus.

MARTINUS NORDANUS
DE ROSIS JANI GULIELMI.

ANne Venus Latia est, nimbo qvæ tecta rosarum,
Heic, GULIELME, sibi destinat hospitium?
Sic reor. ast caussæ qvid dicam? num velut olim
Illa suo tinctis sangvine capta rosis,
Sic hæc capta tuis: Latio qvia flore renident,
Cunctarum & Venerum divite rore madent,
Delicium juvenis! Divam qvi cogere possis
Sponte tuis Latium mutet ut illa rosis:

IDEM.

HUmanæ nobis simulacrum flebile vitæ
Dat brevis in mediis sentibus orta rosa.
Qvæ cúm ridentem calicis jam pandit honorem
Primulúm, & explicito flore comante nitet:
Ut non se prodit fragilem, reliqvisqve pudorem
Fulgore ut plantis luxuriante facit!
At mox tacta nothis, posito capite, elangvescit,
Et vix heu lapsi signa decóris habet.
Sic miseri in mediis curis nascuntur homulli,
Summula qveîs vitæ qvantula, qvæso, datur?
Ah brevis! atqve eadem cúm nobis optima visa est,
Dulcacido numqvam non tamen illa madet.
Ergó, qvi sapit, is dubiæ sic tempora vitæ
Ducat, spem ut longam ne inchoët ille qvidem,

Sed

Sed mage præsentem studiis sic collocet horam
Prudens, & rebus sedulus invigilet:
Ne frustra ætatis juvenili flore peracto
Discere tunc cupiat, discere cùm nequeat.



JANI GULIELMI MANES PALMERIANI

AD HIERONYMUM BERCHEMIUM, JC.

O venæ pater aureæ
BERCHEMI, Aoniæ dulce decus lyræ!
Idémqve haut minor àrbiter
Romanæ Themidos, qvám Labeo aut vetus:
Seu tu, justitiæ comes,
Juri QVOD MELIUS ÆQVIUS aspero
Misces; sive præis tuo
EGMONDANO, atavos dum ruit ultimos
E prisco historiæ situ,
Et regum veteri stemmate se genus
FRISONUM reminiscitur;
Seu leni citharâ carmina temperas,
Atqve immania Belgici
Lamentare piis vulnera qvestubus;
Aufer cuncta opera. & vice
Jam longi lacrimas temporis aridas
In luctum renova novum,
Et nostris gemitum junge doloribus.
Dum manes cieo Deos
PALMERI, superis non ita crediti.

Et

Et damnum fleo, publicé
Musis & Latiæ principibus rei,
Privatim tibi flebile
BERCHEMI, ante alios, tum mihi, qvem, á tuo
Cúm discesserat, omnium
Præponebat (eheu!) nuper amoribus.
Illum dum lacrumabili
Raptim proseqvor, & concino næniâ,
Mæstam tu qvoq; barbiton
Tende, & sic meritos increpita Deos,
Qvi tam desubitó tuo
Occasum juveni præcipitáverunt,
Cui Grajæ Veneris lepor,
Et linguæ arbitrium cesserat Italæ;
Qvi, BERCHEMI, animi tui
Secum dimidium sustulit, & mei;
Qvem desiderii impotens,
Surdos nocte die flagito cœlites.
Ac tu succine lúgubres
Lausos instrepitanti mihi: leniunt
Mærorem qverimoniæ,
Et planctus miseris ipse levamen est.

AD ANIMUM PALMERII.

Cúm peregré mediâ raptum te, JANE, juventâ
Hei nimium verax hoc qvoq; fama tulit.

Has

Has lacrimas, hæc mæsta mei monimenta doloris,
(Jusserat hoc pietas officiosa) dedi
Deproperata tibi; memor & morientis amici,
Et deflens vitæ tempora sola meæ:
Tu desiderium (nam sentis, sancte,) sodalis
Theseámqve fidem, jam qvoqve noster, ama.

ELEGEIA.

Scilicet hæc etiam me vulnera sæva manebant,
Vulnera vel fato mi graviora meo;
Ut tua PALMERI *crudelia funera nosse*
Festinata suum cogerer ante diem;
Ut, cui gestibam numeris occurrere festis,
Cogar in emeritos, hei, dare justa rogos!
Hoc erat, hoc, qvód cum lævo omine progrederere,
Offensum memini te tenuisse pedem;
Qvód lacrimas tenuisse meas, qvæsitáqve verba
Nectentis tardas qvalibet arte moras.
Jámqve domu exibas, & restans limine in ipso
Dicebas mæsto murmure, JANE, *vale.*
Non tamen avellor, lateri sed jungor euntis,
Téqve Severinas proseqvor usq; fores.
Heic etiam mandata dabas, salvéqve locutus,
Rure suburbano, me sine, tendis iter.
Progressum paullum retrahit mens saga futuris
Vertis, & invitis ipse redis pedibus.

Méqve

Méqve renitentem nihil altos ducis in agros,
Brolanæ notum quá jacet arcis iter.
Donec jam crepero PALMERIA *vespere villa*
Me tibi supremo jungeret hospitiò.
Discinctus properas, & cœna viatica per te
Ponitur, & cani grata saliva meri.
Exigimus paucas variis sermonibus horas,
Adposito curas diluimúsqve mero.
O cæcas animi latebras! ô nescia corda
Crastina venturi qvid ferat hora diei!
Qvis nòctem me illam, convivia & illa putasset
Ultima tam caro ducere cum capite?
Duxi, me miserum, tamen ultima. mane coorto
Digredimur. dicto rursus, ut anté, vale.
Tunc qvoq; respectans PALMERIUS *addit; amabis*
GULIELMI *absentem me tamen usqve tuum.*
Nec bis plena prius reparabit cornua luna,
Me reducem vestras qvám stiterim ante domos.
Dixerat. illacrimans excepi ego: mutua fiunt,
Nec tuus hic animi vincitur igne meo.
Tu tantum cauto propera pede: pallida pestis
Scis istis dederit funera qvanta locis.
Nec plura, obscævans (probat ut res nata) vianti.
Sæpe malum fidis omen inest monitis.
Et qvater exactos jam luna novaverat orbes;
At te PALMERI *semita nulla refert,*

Ulla

Ulla nec in tanto mihi venerat intervallo
Littera, vel rebus conscia fama tuis.
Qvamvis huc Ubiûm nemo Aeduus adpulit urbẽ,
Restiterim cum qvo non rogitator ego:
Dic hospes, DOLÆne meus PALMERIUS, aut huc
Est tibi sed salvo visus adire pede?
Et signa addebam, qvibus illi notior esset.
Certum aliqvid cupido sed mihi nemo dedit.
Jam mora suspecta est, suspecta silentia tanti
Temporis, & curas auctat. alitqve dies.
Cum subitó attonitas infandus nuncius aures
Accidit, hei, vixit mutua cura tua!
Ille tuus vixit PALMERIUS ignis; ut eheu
ARGENTORATUM vix satis institerat.
Obstupui, lingvámqve dolor præcidit, & excors
Luctu (si qva fides) & sine mente fui.
Talis, ubi exanimum Patroclum audivit, Achilles,
Nisus in Euryali funere talis erat.
Mox planxiqve manu turbatum pectus utráqve,
Et jeci in magnos libera verba Deos.
Crudeles Parcas, crudelia numina dixi,
Tam cupidâ carpunt qvæ meliora manu,
Deteriora sinunt. quis non stridentia Vates
Carmina qvi miserâ sibilat é stipulâ,
Qvod non Aonidum vivit pus atqve venenum?
Nec nisi decrepito solvitur á senio?

Hic

Hic vatum princeps, & Musarum unica cura,
Vix etiam juvenis exiit, & moritur.
Librorum vivunt pestes tenebræque bonorum;
Hic priscis Phœbus Vatibus alter obit.
Ergo jaces nostræ nuper spes magna juventæ,
Et certâ & dubiâ sorte fidele caput:
Ergo jaces, tecúmque jacet pietásque, fidesq;
Et columella mei prima sodalitii.
Cum quo jucundas Musis plaudentibus horas
Condebam, & studiis omnia nota meis:
Cujus limatas semper modulabar ad aures,
Affectans uni nostra probare tibi.
Tu mihi cunctorum PALMERI *solus habebas*
Instar. inhumanum non ego vulgus amo.
At nunc, te rapto, mihi nec consortia grata.
Nec libri dulces, & mea Musa silet.
Tu mea, tu moriens nostræ omnia gaudia vitæ
Frater, in æternam vertis amariciem.
Tecum si qua fuit, fugit me gratia, tecum
Et Musæ & Veneres & periêre joci.
Nec mihi jam superest, præter plorare, tuique
E desiderio non abeunte mori.
Quamvis nulla mali jam te contagia lædunt,
Sed colis Elysii rura beata soli.
Quâ sedes stat fixa bonis, quos vita probavit
Innocuos, factis abstinuitque malis.

Illic est, cuicúmqve pio mors impia Vati
Injecit rapidas insidiosa manus:
Illic Flaminius, Bembúsqve, & Vida recentant
In numerum sacro in gramine dia mele,
Illic Aonius rediturae buccina vitae
Tot Carum exemplis & ratione premit.
At tu Lotichio PALMERI *molle canenti*
I comes, & patriâ ductus & ingenio.
Omnia sunt illic placidae plenissima pacis,
Et viret assiduo vere beatus ager.
Heic tibi parta qvies, heic sanctae debita menti
Otia perpetuo tempore laetus agis.
Et te per terras divinis capta libellis,
Laudat doctorum gens studiosa Virûm.
Ingeniiqve aciem miré solertis adorat,
Et medicam criticae dexteritatis opem,
Et tua de reliqvo mussans promissa reqvirit,
Vana qvidem, (novi) non ea lenta tamen.
Sed te qvám justae possint defendere caussae,
Optimus ante omnes testis ego unus ero.
Conscius, in qvantas te involverit undiqve tricas
Mors patris & patriae nupera cura rei.
Et tamen haec partim CAMPI *custodia servat;*
Pars latet, aut tecum cum morerère, fuit.
Qvae, moneo, servate, mei monumenta sodalis,
Et date communi utenda fruenda bono,

In

In qvos inciderint. at vos librariæ adunca
Hinc, moneo, felles, hinc procul ite manu.
Non mea me pietas, dum vivo, relinqvet: amici
Manibus assertor sat vigil unus ero.
Unus ero, titulis alienis abdita qvi non
PALMERI in populos ire reperta sinam.
Verúm adeó vindex, asinúmqve é pelle leonis
Extractum meritis stigmasin involüam.
At tu, sancte, tui pietatem agnosce sodalis,
Et gaude magno, frater, in Elysio.
Exspectáqve ad te properantem perpete luctu,
Illa meis lacrimis ultima finis erit.

AD MUSAS.

HEic Helicon, Musæ, PALMERI effloret ab urnâ,
Ascra poëtificis heic scatet uber aqvis.
Aona ne divæ, ne Grajum qværite fontes.
Cum tumulo hoc isthæc omnia Rhenus habet.

AD EASDEM ET GRATIAS.

FUnde crocum & violas, huc purpureos hyacinthos
Porrice, & Idaliis lilia mista rosis.
Et vos ad tumulum Pindo appropriate Camœnæ,
Gratiæ & usqve ipso accurrite Acidalio.
Illis ingenii, vobis qvæcúmqve lepórum
Copia, PALMERI funere commoritur.

IN NOMEN PALMERII.

PALMERI, cecidit certum tibi nominis omen;
Et priscis palmam vatibus unus habes.

AD POETAS ÆQVALES & Amicos.

Posthi, Modi, Melisse, Musici alites;
Qvos sacra luco Laurus Aonum tegit,
Et læta concinentium audit carmina.
Lugete divini alites, & candidas
Mutate nigris cantilenas næniis.
Ego illa vestra libethri in ripis soror,
Rheno usq; Mœni nuncia advolo vada,
Eheu doloris impotentis nuncia;
Narrans fuisse principem Libethridum,
Fuisse (væ me!) maximumq; & optimum
Vatum bonorum, an fallor? an PALMERIUM
Vixisse persensistis é virtutibus?
Aliâqve luctum concrepante ostenditis.
Ille ipse vixit, ah! lacúsqve pallidos
Nunc potat, unda longulé Permesside.
Nec jam piis melismasin, velut prius,
Me, vósqve delinibit; aut reconditos
Vatum priorum publico asseret modos.
At Vos piæ summo Poëtæ ducite

Funus

Funus volúcres, næniáque flebili
Sonate laussos, donum amoris ultimum.
Ego hinc remigro visere ad Belgas, ubi
Dusæus ardor, Lipsia & mellinia,
Lernutiúsque tinnit argutum lepos,
Ubi resultat Utenhovium melos,
Et vis Rolandia, & venustas Pectia,
Spiránsque Martem Werdeburgii impetus.
Meo Poëtæ concinens funebria
Unde unde justa: quæ nec atterat dies,
Nec tacita sensim oblivio ulla oblitteret.
Dein domum conversa, carum comparem
Lugebo lamentatione perpeti.
Non me ulla nox dolore vacuum, non dies
Videbit; ut palumbem in altis arborum
Ramis gementem, aut turturem amisso pari.

NÆNIA.

QUis desiderium flebile leniet
Tam cari capitis? quis mihi lúgubris
Planctus & lacrumarum injiciet modum?
Dum te, te illicium omnium,
PALMERI, te animi dimidium mei
Extinctum propero funere conqueror,
Singultúque sonanti cieo asperis
Fatorum invidiam deis.
Vos testor, studiis quîs teneræ suis

Mollivère animi mentem Heliconides:
Vos, qvorum lepidæ moribus aureum
Afflarunt Charites decus:
Vidistis ne alium vi celeri ingeni,
Doctrinæve parem divite copiâ?
Eccui judicio tersior alteri
Pectus lima poliverat?
Eccui, qvod mihi me surpuerat, labris
Sedit mellifluis Svada venustior?
Seu frictis salibus ludere, seu magis
Staret seria proloqvi.
At germana fides & duplicis doli
Hostis sanctis amor, puráqve veritas
Ec qvando invenient huic similem alterum?
Heu tu, frater, eras mihi,
Tu mihi fidus eras, frater: & omnibus
Commune auxiliúm rebus in asperis;
Lætis conscius. & pæné eadem mihi
Gaudens gaudia. nunc (dolor!)
Nunc justum ante jaces exanimis diem.
Nec virtus animi, nec pietas tibi
Qvicqvam, non lepor, aut nobilium sagax
Pectus profuit artium.
At curis hominum tristibus es tamen
Functus: perpetuæ me qverimoniæ
Me suspiria, me discruciat tui
E desiderio dolor.

In

IN TUMULUM

Non hic PALMERI tumulus. ne crede viator.
Tot bona non unus clusa tenet tumulus.
Ipse animus patrio fruitur jam liber Olympo,
Agnoscitque tuam, Christe sequester, opem.
Vociferantur humi divina poëmata semper,
Ingenio priscis vatibus ire parem.
Spirat limati censoria judicii vis
In criticis etiam nunc animosa libris.
Fama vehit clarum super ardua sidera nomen,
Quóque dies exit limite, quóque subit.
Quantilla é quanto sita sunt heic; ossa cinisque
PALMERI, immensus cetera mundus habet.

LITERARUM DAMNUM.

Sol fuerat Vatum tenebris PALMERIUS ortus,
Luxerat & pulsâ nocte serena dies.
Nunc Sol ille abiit, subiitque inimica diei
Pristina in obductos mox revoluta libros.
At gemino divûm collucent atria sole,
Vitam hominũ tenebræ noctis, ut anté, premunt.

Viderat exanimum PALMERI funus, & insit
Illacrimans scissis Calliopeia comis,
Eheu Parnasi cecidit spes tertia, & una
Occidit Ausonii plurimis oris honos!
Hic tibi solus erat Germania magna, quod audit
Scaliger in Celtis, Lipsius in Batavis

OMNIA PALMERIUM

qværunt, in omnibus
Ego maximè.

FLet Rhenus, Rheni regina Colonia luget,
Omne suum tecum, JANE, obiisse decus.
Turritas laniata comas Germania mater
Spe juvenem tantâ se genuisse negat.
Ille tuus, tuus ille animus GULIELMIUS alter,
Triste gemens, cupio te moriente mori;
Te cupio moriente mori: non ulla superſit
Vita mihi, vitâ te moriente meâ.

NUper amor, nuper mihi solus ocellus; at, eheu!
Nunc desiderium flebile, nunc lacrimæ,
PALMERI, qvæ me nunc tempora, qvæ mihi vita
Posthac, te procul hinc depereunte, manet?
Exspes, & luctu ac multo sqvallore macescens,
Te desiderio conseqvar & lacrimis.

MEl MELLERE meum vixisti. melle fluebat
Dulcior, & divûm nectare sermo tibi.
Nunc mihi fel fis emoriens, seu fellis amari
Vincit amaritiem major amaror alis.
O miseras, MELLERE, vices; te mella sodali
Pascebar, soli fel mihi triste manet.

AD

Ad Jacob. Campium et Hier. Berchemium.

O veri specimen beatum amoris
Berchemi auree, & entheate CAMPI!
Lugete, & querulo dolore pleni
In salsos lacrimarum abite rivos.
Ille flosculus Allemaniarum,
Rehni adorea prima, litterarum
Sol, PALMERIUS; ille utrique vestrûm
Qui mage unicus unicis ocellis,
Fuit. me miserum! mihi quot illud
Exit cum lacrumis, fuit? quis autem
Fata, immitia fata, sat supérque
Incusaverit? ô meum dolorem!
O factum malé! ô maligna fata!
Tam bellum juvenem malé abstulistis.
Summam qui Sophiæ tenebat arcem.
Qui vates numeris vel his, vel illis
Dentatis dialecticos logismis,
Linguæ flumine Rhetoras disertos
Antevénerat undecúmque cunctos.
Qui seu ludere mallet & jocari,
Regnum planitus obtinebat omniûm
Leporum & Venerum & facetiarum;
Sive consilio foret severo
Usus, Pallada corde continebat,

Quám Laertiadæ faventiorem.
At vobis malé ſit maligna fata,
Quæ nobis lepida omnia invidetis.
Veſtrâ nunc operâ meus ſodalis
Crudeles (dolor !) oppetivit umbras.
At ſuper mihi ſolitudo ſoli eſt
Multis cum lacrimis; dolórque vobis
BERCHEMI auree, & entheate CAMPI.

DAMNUM JURIS CIVILIS & litterarum.

CErtabant Themis & Muſæ, quæ caſtra teneres
PALMERI, partes & ſeqvereris utras.
Et tibi Pierides ſua certatim, & ſua dona
Diva Themis ſancto fuderat é gremio.
Ergo, tam dubiæ dirimas ut jurgia pugnæ,
Et Themin, & Muſas, charus utrique, colis.
Nec tibi ſe qviſqvam vel in his componere caſtris,
Illo vel pôterat æqviparare foro.
Invidit Nemeſis, vitamq́ nefaria rupit.
Sic cadis. at tecum Muſa, Themiſqve cadunt.

AD HENRICUM SUDERMANNUM JC. Anſæ Saxonicæ Syndicum.

ET tu conceptos dudum de Vate Latino,
HENRICE, verſus flagitas,

Incusáſqve

Incusásqve moras omnes, lenteq́ tenacem
Promissionis increpas.
At mihi percussit luctus inopina procella,
Statúqve dejecit suo
Mentem & fecundo clusit sub pectore venam,
Fons unde Musicus fluit:
Ex qvo PALMERI cognovi flebile fatum
Tam derepenté mortui.
PALMERI cujus tantum mihi creverat ardor,
Qvantum humidos propter lacus
Aut teneræ salices, aut florea summicit alnus,
Aqva juvante, brachia.
Notus & ille qvidem tibi SUDERMANE, tuisqve
Magister olim liberis,
Sed mihi præcipué fidei perspectus, & omni
Amoris astu liberi;
Qvali Trinacriis olim flagravit in arvis
Damonis igne Phintia.
Idcirco jaceo luctu externatus acerbo,
Nec personare barbito,
Nec me læta juvat deducere carmina solum
PALMERIUM recogito;
PALMERI superos manes, animúmqve reposco;
PALMERIANO funeri
Ingemino lausos, & lamentabile carmen
Fallóqve fletum qvestubus.

Hoc

Hoc opus, hic labor est alto mœrore furentis,
HENRICE. læta mox tibi
Decantabo libens, cúm jam mihi redditus ipsi
Pausam dolendi fecero;
Vel ratione animi, vel temporis intervallo
Curabilis. tunc GAMBARÆ
Qvid mihi LAURENTIS videantur singula dicam;
Nunc næniæ solæ levant
Mœrentem, tristiqve melos miserabile planctu
PALMERIO super juvat.

AD LUDOVICUM HALLERUM ab Hallerstein.

OMNEM, HALLERE, diem crede supremum; neqve strennuæ
Tu confide juventæ nimium, nec valetudinem
Metire eximiis, credulus á viribus. imminet
Occulté insidians vitæ hominum sæva necessitas
Fati, nósqve nihil mente agitantes minus abripit.
Involvens tenebris exanimum pallidulis caput.
Non illam ingeniis nobilibus parcere, nos monet
PALMERI ah nimium desubitó præcipitata mors.
Ne totos habeat nos tamen indigna rapacitas
Parcarum, studiis nobilibus dediti & artibus,
Pensemus mala dispendia vitæ egregio lucro
Clari nominis, & perpetuúm floridæ adoreæ.
Immortalis enim, qvā pariunt carmina, laus manet.

AD

Ad Palmerium, Villam & solum Natale Palmerii.

Villarum ocelle, flos agri suburbani,
Scatebra aqvarum, mater arborum læta,
Palmerium, Palmerii parens nostri,
Herediúmqve rure gratius qvovis
Meo Poëtæ, qvo beatus & Crassos
Ridebat, & vesanias tyrannorum.
Dole misella derepente privata
Ingente alumno, qvem tibi Ubiûm mater
Dudum invidebat, & fremebat urbana,
Qvæcúmqve alebat, undecúmqve prognata,
Ingenia Vatem subseqvi suburbanum.
Non ille posthac, ut solebat, abjectus
In cespitis virente culcitâ vestri,
Mirantibus cantabit entheum nymphis,
Crepantibúsqve colloqvetur arbustis.
Non ambulator patrios agros circum
Ibit, molæ nec ambitu catillante
Sonum strepentis hauriet procul rivi
Non otiosas lectiunculis horas
Fallet deinceps in tuo sinu gaudens,
Et téqve, séqve, nósqve mentis argutæ
Reconditissimis beabit inventis.
Isthæc fuêre, dum meus fuit Vates,

Qvem nunc avara sustulit sibi Parca,
Ipso juventæ germinantis in flore.
At tu misella hero orba tam pio luges,
Sqvallent & ipsis gramina horrida in pratis,
Tacéntqve rivi, nec loqvuntur arbusta,
Nullósqve nymphæ carminum imbibunt cantus,
Muta omnia atqve mœsta herum suum qværunt.

AD GODESCALCUM STEWECHIUM
Epodi.
I.

TUâ fide, GODSCALCE, qvæ mortalium
Vitam reciprocant vices?
Qvi nos, malúm, sursum deorsum casuum
Volvunt, revolvunt turbines?
Incertiores, seu marinis fluctibus,
Qvos bruma motos temperat;
Sive uvidâ cœli serescentis fide,
Qvod aura verna lubricat.
Nec certa cuiqvam vita, sed nec mortis est
Vel hora certa, vel dies.
Unus futuris arbiter conscit DEUS.
Secreta qvem solum penes
Tutela fati, ignobilis mortalibus.
Qvis nuper, hei, PALMERIUM

Nostrûm

Nostrûm videre se putasset ultimum?
Quis illa vota publica,
Illa illa vota tam fideli pectore
Tuo meóqve prodita,
Frustra ominata sævientibus notis
Ludibrium nos didere?
Inania illa dissipaverunt tamen
Et Eurus & rapax Notus.
Et ille noster, & juventa firmus, &
Vigore corporis, fuit:
Et ille candor, illa nuper - comitas
PALMERIANA obmutuit.
Mors scilicet, qvotcúmqve mortales sumus,
Semel, STEWECHI, nos manet.
Nec parcit ætati bonæ, aut valentium
Vim pertimescit virium.
Sed tollit omnes. serius, sive ocyus
Humana cuncta demetens.
Soli peremnes emicantis ingeni
Fructus beati permanent,
Nec casuum necessitati obnoxii,
Nec seculorum injuriæ.
His vivet, & florebit, & laudabitur
Ubiqve & usqve gentium
Noster sodalis, dum Catino carmine
Europa læta perstrepet.

Hoc ſublevemur unico ſolatio,
GODSCALCE *(nam qvod eſt alid?)*
Animósqve iisdem deditι in ſtudiis bonis
Usqve imbuamus artibus
Humana morti cuncta; ſoli debita eſt
Sapientiæ immortalitas.

AD GRATIAS, MUSAS, MINERVAM.

V*Os Gratiæ repoſco*
PALMERII *lepóres;*
Et vos repoſco Muſæ
PALMERIANA *plectra;*
Et te repoſco Pallas
PALMERIANUM *acumen.*
Hæc dum meo minores
Palmerio invidetis,
Aufertis hei; coortæ in
Virum, Deæ, tot, unum.

IN LIBROS SPICILEGIORUM *poſthumos.*

N*Atus erat Muſis* PALMERIUS *alter Apollo,*
Oblitos poſſet qvi renovare choros,
Atq. ſuis adytis vatum inſtauraret honores,
Veridico reſerans abdita fata ſono.

Jámqve

Jámqve suus Plauto, tuus & tibi Care redibat,
Et tibi cum socco Pœne poëta lepor.
Vidit, & invidit Latonæ callida proles,
Fata suis hominem liqvidiora dare.
Transadigitq; virum jaculans. jacet ille, simúlqve
Omnis Musarum spes recidiva jacet.
Saga tamen, potuit qvæcumq; reprendere fata
Sublegit tacitè Calliopeja soror.
Et dedit in populos, sic nunc PALMERIUS usqve
Fatur in æternis alter Apollo libris.

AD P. MELISSUM, COMITEM Palat. & Eqvitem, Civem Rom.

AHme, Melisse, qvot tuæ mi litteræ
Redintegrarunt lacrimas!
Salvére dum cerâ infimâ PALMERIO
Adscribis, heu, PALMERIO!
Tot ante cui menses suprema stamina
Legére fatales Deæ;
Cui jam modó singultientes nænias,
Mistísqve fletibus modos
Libaveram, & versu fatigans Cœlites
Piâ parentâram prece.
Et jam coire vulnus: atq; ponere
Paullúm videbatur dolor:

Cúm, melleæ sodalitatis asperam
Te refricante memoriam,
Mæror recurrit: atqve cogitatio
(Heu!) solitudinis meæ
Mentem novâ suffudit ægrimoniá,
Luctúsqve amaros rettulit.
Sic saucius cúm conqvievit, & simul
Vis conqvievit vulnerum;
Si decubantem valdius tangas manu,
Æstus resævit & dolor.
Sic luctus instauratus, & tangente te
Vis mî mali recruduit:
Qvam nil mihi lenibit, aut tollet, tuas
Præter, MELISSE, litteras,
Plenas & allocutione litteras,
Et utili prudentiâ.
Has ergo PAULLE mitte qvamprimúm novas;
Ut hastam Achilleus Telepho.

AD JESUM CHRISTUM Deum O.M. pro Jan. Palmerio.

SPes hominum JESU, cujus nos munere [illegible]
Post miseram vitam hanc vita beata manet:

Si

Si tua suspexit PALMERIUS enthea verba,
Sidonis hesit spéque, fidéque tuis;
Si moriens á te precibusq́, animoq́ pependit,
Si pars optavit corporis esse tui;
Excipe, nate Deo, fretam tè Rege, tuóque
Sanctam animam tutam numine semper habe,
Sidereósque choros inter, tibi dia, repone
Cantantem attonitis carmina cœlitibus.
Vates, cura DEI; cœli præconia, Vates
Audimus. Vatem Christe tuére tuum.



DIS MANIB.

JANO PALMERIO
MELLERO,

DIVINI INGENII VITÆ
SANCTISSIMÆ VIRO
BONO REIP. MUSARUM NATO
HARUMDEM MALO PUBLICO
ET IRRECIPERABILI DAMNO
DENATO,

JANUS GULIELMUS
AMICO INCOMPARABILI
LUCTU DESIDERIOQ. PLENUS
B. M. D. D.
AB HOC MONIM. D. M. A.
HAVE ANIME MI PALMERI
HAVE ET ÆTERNUM VALE.
S. T. T. L.

* *

J. MELLERI PALMERI

Jambus AD *JANUM GULIELMIUM*

CUniculi Poëta mollior pilis
Have GULELME, sive Tu es GULELMIUS,
Et vt qveas havere, havere me jube.
Nam vt optimé tibi sit, alteri tibi
Malé haut potest; neqve ille siverit Deus.
Qvid usqve ibi, obsecro, est tibi negotii,
In urbe Claudi, ubi togatum & Ubium
Latina sangvinem virago miscuit?
Qvid opperiris? aut cui rei sedes
Veterne? sicne tam citó tibi excidi?
Opúsqve nomine in meo jam aranea
Facit, qvum in aërem illicó abstulit notus
Fidem, sibiqve, fratribusq; alis pilam?
Tuum qvidem hercle nomen obserat fides
In hoc meo tuo, GULELME, pectore.
Neqve ulla candidum mari caput dies
Renata tollit, aut cadens facem occulit,
Nec alma noctiluca lampadem qvatit
Vehens nigrante langvidam rotâ vicem,
Ut ipse cogitare te immemor siem.
Et ante Scaldis in caput fluat retró,

Qvám in hoc levem ille corde ventilet facem
DEus, qvi amica pectora aureo ligat
Jugo; qvod ipsum ubi mihi & tibi induit,
Pariqve jussit ire nos viâ, meum
Tuúmqve nomen alteravit invicem;
Tu ut esse ego haud gravére, ego ut GULELMIUS.
Et id negat negare Rhenus Issulam:
Ita ille candor, ille vectus oscine
Olore candor, atq; musicus decor,
Ita eruditio togata me capit
Tua, atq; palliata, & ignem in ossibus
Ciet, benignitásqve mentis incola
Probæ, dolo sine atq; Ulysse duplici,
Cuive nulla vulpem Iberia assuit.
Et ignea illa vis tui ingeni impetu
Suo atq; spiritus Platonici alite
Volans ad usq; belluata tegmina
Suprema cæli, & alta transnatans Deûm
Cubilia, ac fabrem ipsius Jovis torum.
Adhæc poësis, ut minor sit Actius,
Nec ipse major Angelus cluat, simul
Lacessis astra, méqve surripis mihi.
Sed & mihi qvoqve affuit (neq; abnuis
Scio) perinde qvo subire possiem
Tibi : scit hoc Apollo, ut arseris piis
Gemelle frater ustulatus ignibus.

Qvid

Qvid ergò poſſidere te vetat, rogo,
Ita vt diu occupaveram, GULELME? cur
Habere amore cogor in tuo notam?
An hæc inanis eſt querela amantium,
(Qvod ô Deus face) & nihil tibi mea
Minúsve, plúsve fecit imperitia?
Sed á tuis tu abeſſe non potes libris,
(Ut helluo es profectó litterariæ
Dapis) vel usqve dum huc pedem afferas, iis
Carere? fallor? an qvoqve illa cura te
Tenet, libellulos tuos amuſſitans
Ad unguem vt exigas, qvibus trecenties
Trecenta menda ſuſtuliſſe te é libris
Trecentûm opinor; adde, ſi voles, uti
Voles. ut ut ſit huc recurre, ſi ſapis,
Agrum in ſuburbium, aut, ſi id eſt pigro grave,
Remitte me mihi, & meum eſſe me ſine.
Qvi enim mei minore parte mecum ago:
In urbe qvippe tu vadatus alteram es
Tuis amantiis, leporibus, jocis,
Lubentiiſqve: ſed redire me jube ad
Me. iniqvum enim ſit unum utrúmqve te ſimul
Habere, me carere utroq; ſcilicet.
Si id obſeqvi qvoq;, vt ſoles, morabere,
Malo tuo, GULELME, ſaxo ſis malus.
Cui, qvot uspiam truces minas vibrant,

Salire circum jambici caput parant,
Latúsqve sauciare sævidentibus,
Nefaste. sed Dii nec hoc, nec illa vis
Amoris entheata mutui sinat,
Ut alterum me ego alter increpem malus.
Tu ama modo, & vicem repone mi tuis
Gemellæ frater ustulato ab ignibus.



Christo

CHRISTO SERVATORI
SACRUM.

J. PALMERIO MEL-
LERO UBIO

PERACRI CORRUPTIS Ro-
manæ lingvæ ſcriptoribus
emendãdis illuſtrandisqve
Juveni Amico

Jo. MATALIUS METELLUS
Seqvanus JC.
poſuit.

RElliqvias veterum docti & monimenta laboris
Ardua ſcrutatus, caſcáqve verba ſenum;
PALMERI, eriperis terris. At, longa ſorores
Debuerant juveni ſtamina nére Deæ.
Hoc tua poſcebat virtus: qvam fama ſuperſtes
Adloqvitur, meriti nomine ſacra tibi.

IN J. MELLERUM
PALMERIUM.

PAlmerius ſpicas Clario ſpeculatus in arvo
Hincqvè jacere atqve hinc perditè Hamadriacas;

Collegit studio solerte, maniplum & in unum
Gessit, qvæ Plauti, qvæqve Terentii erant.
At Genio invidens lethum Plautiqve, TerentIqve,
In specu Avernicolâ Spicilegum hunc voluit;
Frustra. Mellerus melle hic Plautiqve, TerentIqve
Altus, ovat palmâ perpete Palmerius.


Casp. Conradus
Uratis L.



JANI

JANI GRUTERI

MANES GULIELMIANI.



Excellenti Viro
JANO GRUTERO
JC.

QVo, rogitas GRUTERE, animo Gulielmia promam
Funera carminibus delacrimata meis?
Illicio dixim veri in Gulielmium amoris;
Illicio & Monavi, Bucretii qve tui.
Si malé habes; malé habes Gulielmi manibus ipsis;
Et malé habes Monavo, Bucretioqve malé.
Sed malé qvei possis Trigæ huic laudabili Amicûm,
Qvorum animis animus vivit, ovatqve tuus.
Ergo animo haut veluti tuo habes malé, ita haut ma-
(lé habebis,
Partem animæ hácce tuæ me meâ habere operâ.

CASP. CONRADUS
VratisL.

JANI GRUTERI MANES GULIELMIANI.

Ad Janum Gulielmium.

Depositum I.

Ergo carceribus juvenantis gloriæ in ipsis
Te, Gulielmi, hausit Somni homicida soror?
Spémqve illam angustâ tecum sepelivit in urnâ,
Qvâ pridem implebas orbis utrumqve latus?
Sic heu, sic viridi qvæ luxuriabat aristâ,
Succumbit pluvio desubitò imbre seges!
O sortis nimium sævæ glaciale cor! atri
Sideráqve ô nimium cœli inamabilia!
Tollitis in primo lactentis flore juventæ
Deiphobes dignum vincere pulverem anus.
Dignum, inqvam; mores sive inspiciantur, & illa
Qvæ vel Saturni tempore rara, Fides:
Seu numerosarum exundans vis Doctrinarum,
Hausta & Athenarum, Romulidúmqve libris,
Qvi seclo nullo moreretur, at omnibus esset
Qvá vitæ exemplar nobile, qvá ingenii.
Veráne Mnemosides vox profert, veráne Pallas?
Ah, ita! vestra, horum & lacrima testis adest.
Lacrima, qvæ ex oculis nihilo moderatius undat,
Qvám qvi præcipiti monte cadunt latices.

Há frustrà tunc omnimodos pallere colores,
Calfacere & falsis ora decebat aqvis :
Qvum fremeret circum caput illi forfice Clotho,
Sterneret & Libitina officiosa torum.
Qvis scit, an haut vestri ploratus, fractáqve verba
Fecissent furiis molle, piúmqve jecur ?
Namq; dolor qvid sit, jam ex illo tempore norunt,
Thracis ad accentum qvó stupuêre lyræ :
Sepositáqve colo, tantum non, á Duce Averni,
Oravêre palam pro ipsa abitum Eurydice.
Sed qvid? tam properam mortẽ haut vestrũ ulla ti-
Siq; metus qvis erat, pro sene solũ is erat. (mebat.
Non malé. si fatis tantum auferrentur iniqvis
Albescente qvibus tincta colore coma est.
At non sollicité articulis mors computat annos.
Tangere qvem gestit falce suâ, ille senex.
Ille senex; qvamvis modó jam lanugine sparsus
Mentum : imó qvamvis vix bené lallet adhuc.
Præcipué ille senex, cui de meliore metallo
Mentem animi finxit filius Iapeti.
Audactérqve caput qvi humana supra omnia tol-
Et Sophiæ propius se insinuat domibus. (lit,
Hinc tu, Jane, cadis melior qvo, vel mage doctus
Non sub lumine erat omnipatente Jovis.
Hinc Musarũ, inqvam, illa exstingveris aurea Lam-
Patrimæqve cadis virginis altus honos. (pas,

O scæva

O scævæ sortis nimiúm glaciale cor! atri
Sideraq́ꝫ ô nimium cœli inamabilia!
En facinus vestrum. en en illa ut Musica Seiren,
Jam non effundat melliflua illa mele.
Et tamē, en, ut adhuc sit tincta gena utráque ei ostro:
Extremúsque micet nunc quoqꝫ in ore decor.
Sic Phœbi esse solet lumen jam jámque cadentis:
Ictus Apro, Veneri talis Adonis erat.
Há quis nunc oculi posset cohibere fluorem?
Há, cui nunc non singultibus ora hient?
Fundite jam Musæ, lacrimas jam funde, Minerva,
Non tam, quód juvenis per tenebrosum it iter:
Sed quód opem neglexistis ferre illi, ubi nondum
Spes reditur æ omnis fracta salutis erat.
Fundite jam ô Musæ, lacrimas jam ô funde Minerva!
Non tam, quód juvenis per tenebrosum it iter:
Quám quod Anus nasum vestrū latuêre: probéque
Trinæ, Numinibus imposuêre decem.
At tu cinge triumphali nigra tempora taxo
Mors citó, & admissós fortius urge, age, equos.
Nam si unquam exuviis onerata fuit tibi opimis:
Exuviis tibi opimis jam onerata rota est.
Síque hominū gaudes lacrimis, gemitúque Dearū:
Parta tibi in longas gaudia Olympiades.

AD CUPIDINEM
II.

ALate Cypridos puer. qvid præpete
Sic findis aëra impetu?
Te & iste qvid Currus (Columbæ qvem trahunt
Passerculúmqve exercitus)
Indesinente perstat inseqvi gradu?
Axémqve qvid Myrthus gravat?
An tu qvoq; ad Gulelmiana funera
Recto ire pergis tramite?
Libétqve cippi ponere inclyti in jugo
Tuæ sacram Matri arborem?
Factum ô bonum Cupido. enim illo amicior
Ecqvis parenti & Gratiis?
Per alta celsi qvum Paphi cacumina,
Gnidíqve saltus herbidos.
Svave illud entheo ore premeret melos:
Qvo cor ita increvit Rosis,
Ut non modó omne florum & herbarum genus,
Præ eis sit despicatui:
Sed provocent, ipsa Hippocrene judice,
Apollinarem lauream.
Ergo i, Nepotule ô Jovis, fausto pede
Gulielmiana funera.
Ibíqve tu, comata Myrthe, celsius
Ramosa tolle brachia.

Canisqve

Canisqve ſidus peſtilens, & ningvidæ
Defende Brumæ injurias.
Tuisqve ubi Favonii optima alitis
Aura incubabit frondibus,
Vocaliore accentu, ita in laudeis mei
Erumpito Gulielmii:
Ut nil ſonent valles, ſonent nil montium
Vicina cœlo culmina,
Sive orta lux, ſeu biga noctis orta, qvám
Gulielmius, Gulielmius.
Viantiúmqve eat freqvens in auribus
Gulielmius, Gulielmius.
Sic ventulo inſpirata arundo, mobileis
Qvondam Midæ aureis prodidit.

AD NATURAM.

III.

Há Natura! Deûm mere flos, qvâ haut doctior ulla
Diverſi generis flammâ animare lutum,
Fruſtra ſeponas poſthac pulcerrima qvæqve,
Inde bonâ ut formes materie inclytum opus.
In nullum ſiqvidem proprio mage Mors ruit ungve,
Qvám in fictum rarâ materie illud opus:
Vin' tu hominem fabricare, diu cui vivere fas ſit?
Incipe, age: & fruſtum ignobile ſumito Humi,
Neglectímqve illud ſit talibus imbuere Auris,
Therſitæ imbueras qvalibus anté caput.

K *Mox*

Mox, ubi id haut Parcis suspectum videris, illi
Effigiei aliam tunc animam inde Dea.
Sin tot squalenti non fas bona credere arenæ:
Candidiórque tibi ante omnia gleba placet.
Tunc mihi cingatur validé chalybum genere omni,
Vestis eam & circum spissé adamantina eat.
Undique vel tali claudatur & undique rupe,
Lædere quam Mortis nulla sagitta queat:
Vel si non pote sit tamen expugnare, priusquam
Transierint ævi secla quaterna quater.
Sed quid ego? ista magisteria, aut nihilo inferiora
Suffecisse suum, ah, tunc tibi tempus erat: (his,
Nondum ubi adhuc Gulielmiades famulantia Diti
Colla dabat, tuus ast, Diva, cluebat amor.
Nũc tuæ opes ita sunt in eum effusæ ampliter omnes,
Nil feré uti restet de meliore notâ.

AD JOSIAM MERCERUM.

IV.

SI qua dies unquam pullo damnanda lapillo,
Et fuit in lacrimis si qua terenda dies:
Illa dies certé pullo damnanda lapillo,
Et fuit in lacrimis illa terenda dies:
Quâ malé perdidimus nostros, Gulielmium, amores,
Mercere ô Phœbi! ô Mercurii acer honos!
Ejus enim interitu interiit mihi dexter ocellus,
Cordis & interiit portio magna tui.

Quare

Qvare age funereâ frenatum fronde capillos,
Communis socium me ecce doloris habe.
Et lacrimabilibus dum pulso omnem æthera verbis,
Tute etiam increpita voce chelyq; Deos :
Qvi juvenem, qvo nil veniens Sol ultimo ab Indo
Dulcius aut melius aspicere uspiam amat :
Falce venenatâ Mortis temeré obtruncatum,
Miserunt Lethes amne lavare pedes.
Heu, qvis Cœlicolas transversos livor agebat ?
Tunc ubi erat pietas ? tunc ubi erátqve pudor?
Matris ubi florem illum amplexibus avellebant,
Et voluêre aústerâ in regione mori,
Qvi nondum augustos patefecerat oris honoreis,
Sed feré adhuc calycis tegmine opertus erat :
Et tamen omne genus florum qvi anteibat odore,
Florumq; anteibat omne colore genus ?
Há peregré in durâ moreris, Jane, advena terrâ :
Tam procul á patriâ, tamq; sorore procul ?
Tam procul á caroq; propinqvorũ alloqvio omnium,
Fidam ubi langventi non tulit ullus opem ?
Nullus ubi finxit placitura tibi auribus, ultró
Nullus ubi nutus qvivit obire tuos ? (est
Hoc hoc, Jane, tuâ há multó há mihi acerbius ipsâ
Morte, licet tua sit mors mihi acerba nimis.
O Mercere ! ergo Cœlorum ita te oderat ordo,
Illius haut poteras usqve ut adesse toro ?

Tunc eqvidem præsens degebas oppido eodem.
Ipse tuâ macie sed malé nisus eras.
Dum calidâ fibras populatur nunc face Febris,
Nuncq; repentino lubricat ossa gelu.
Hoc tamen, hoc credo, Mercere habuit SolatI,
Qvód fruitus vultu ac voce subinde tuâ:
Vidit &, ex animo te fata sua atra gementem,
Optantem & pro se posse repenté mori.
Ast ei inerrabat qvum Spiritus ultimus ori,
Arriperétqve tibi fortiter inde manum:
Luminibúsqve tuis oculo propé fracto hæreret,
Mente animi qvâ tunc, consilioq; qvo eras!
Vegrandes poterant si ullum extinxisse dolores,
Debueras illâ luce etiam ipse mori.
Sed bené, qvód tibi tunc Somni germana pepercit,
Funeris extremo ne sine honore forent:
Ad Manes Gulielmi altâ ter voce ciéres,
Móxqve parentaret lacrima mixta mero.
Et pro magmentis, sacroq; piaclari, udam
Concineres tumuli næniam inante fores.
Omnia rité tibi qvæ cúm, Mercere, peracta,
Qvid reliqvũ est, nisi sis mortui ut usq; memor?
Carminis ac clari, solvi metuentibus alis,
Nomina celsé ejus per loca cuncta vehas.
Qvaq; suis tollit fumantia lora caballis
Phœbus, ab Eoâ qvaq; resurgit aqvâ?

Nam,

Nam, Mercere, potes. nec enim frustrà aliger infans
Te puerum duxit stertere monte Paphi:
Atq; satellitio Veneris complexus es ulnis,
Pastus & ambrosiâ, nectareâq; dape.
Nec frustrà juvenem vidit bonâ ab arbore Apollo,
Lustravitq; Orphei baccare dia parens:
Et fore pollicita est, qvi rem Latiam atq; Pelasgos
Non ævi sineret dente furente teri.
Ipse at ego, ingenii ac genii infelicis homullus,
Qvi metuo residem tollere verticem humo:
A luce exoriente ad noctem plurimam, acutè
Trunca super caro funere verba qverar:
Donec, ut absumit violens pingvem ignis olivam,
Cor misero tandem cura dolorq; necet.

JANO GULIELMIO.
V.

Hîc Gulielme jaces, viridi qvem pube juventæ
Messuit indomitis Mors fera forficibus.
O nimium juvenem, si vitæ secula spectes!
O nimium, genii si monumenta, senem!
Ergo qvid Autumni tibi erat cum tempore, si Ver
Autumni primum mitia dona tulit?

THRENUS.
VI.

Ergo severâ cæsariem tibi
Triforme Numen dissecuit manu?

Ivitq́; ſub terras profundé
Magna tui, Gulielmi, imago?
Mollire nigras nec valuere anus,
Mens felle nullo livida? mens Deûm
Cultrix perennis? mens profanos
Ferre hominum impatiens tumultus?
Eheu nimis trux Perſephone, qvidem
Trux ſemper eheu! ſed fuit heic nimis
Tua illa dextra trux. & eheu
Tu miſerabile, Jane, funus!
Qvid nunc, ſaventi qvód te acie Venus
Aſpexerit? Divaéqve novenſiles
Pavêre diis vagientem
Nectaris ambroſiaéqve ſuccis?
Qvid, qvód juventâ vix bené pubere,
Ductus virentis per juga Libethri,
Admoverisqve rariori
Ora puſilla labro Hippocrenes!
Qvid nunc, qvód ipsâ candidius nive
Pectus? qvid illex qvód tibi ſvavitas
Condibat & mores ſonôsqve,
Qvæ tumidos cicuraſſet angves!
Num ob hæc minus ſerpenticomas vides
Pallens ſorores? Cerberus & tibi
Metum rictu injicit, pedem aſper
Dum abluit atri Acheruntis amnis?

Adhuc

Adhuc & albâ spargere humum Rosâ
Cessamus ? ac unguenta capacibus
Proferre de conchis ? capútqve
Exhilarare meri salivâ ?
Huc huc nigrantem qvis puer ocyus
Curat Falernum fundere de cadis
Nondum reclusis ? qvis domare
Rore maris, violaq; crines ?
Huc huc vocentur, qvæ ad strepitum fidis
Cantent puellæ, floreq; Liberi
Edentuli tactæ volanti
Prosubigant tabulata planta ?
Qvantum haut jocis impenditur ac choro,
Tantum dierum deperit. ergo dum
Lubet bono & licet fruisci,
Usq; bibamus, age, usq; amemus :
Cras forsitans Mors de subitó invida
Librabit in nos falcem inamabilem,
Trudétqve Summani ad furentis
Præcipiteis cariosa regna.
Ludamus ergo, dum licet & lubet.
Hanc ecce Calvam. sic erimus brevi
Cuncti. qvid ? imó jam secat fors
Nostrum alicui mala Parca filum.

AD JACOBUM CUJACIUM.

VII.

IAm lymphata animi mens numine Musico, avebat
  Per laudeis laté velificare tuas,
Cujaci, Astrææ Princeps clarissime Divæ,
  Idem & Athenææ Pallados unice amor:
Qvum fertur nostros periisse Gulelmium amores,
  Bitturigum stiterat vix ubi in Urbe pedem.
Qvo rumore ita mox steterunt comæ, & intima cordis
  Vis singultato marcida facta metu:
Ut chelys excideret manibus, pullúmqve colorem
  Sumeret, umbrabat qvæ mihi serta caput:
Iret & in lacrimas, alludere visa labellis
  Anté meis, fontis Bellerophontis aqva.
Et meritó. nam qvis tam pectore ferreo, amicum
  Ut qveat audaci dividere ore melos,
Qvum juvenem primi abreptum decursibus ævi
  Audit, cui Phœbus, cuíqve favebat Amor?
Ne dum ut ego inceptas potuissem perficere Odas,
  Fratre meo hinc rapto trans Stygis atra vada.
Fratre meo, tot erant caussæ qvē usq; unicé amandi,
  Mirer ut ipsius me superesse neci.
Qvin qvoq; credibile est, Cujaci, flebile utrinqve
  Sæpe tepescentem te imbre habuisse genam,
Dum feretro impositum cernis miserabile corpus:
  Pristinus á qvo, eheu, fugerat omnis honos:

Fugit

Fugit ut á violâ qvam bos gravido pede pressit,
Aut, Pueræ qvæ aliqvo in vepre relicta, rosa.
Plorasti, há certé multumq́ diúq́ repente
Non modó tunc Mortis qvum jaculo ictus erat:
Querqvera sed primum qvum Febris ei omnia mē-
Nunc æstu qvateret, nūc qvateretq́ gelu. (bra,
Invidiamq́ gravem qvestus Cœlestium, ab ore
Unqvam manavit nil nisi triste tibi.
Há recté, magnâ nam ideo discesserat Urbe,
Qvam bifido tortus flumine Seqvana init:
Ut tui honorato frueretur lumine vultus,
Tangeret atq́ tibi dexteram ovante manu,
Coramq́ hauriret verba illa diserta loqventis:
Ad qvæ non aliter mundo ab utroq́ ruunt,
Qvotqvot fulta gerunt radianti corda metallo,
Humani sensus & qvibus usus adest:
Qvám qvondā Herculeis de metis, Romuli ad urbē
Unus homo, ut Livî cerneret ora Titi.
Nam mortale nihil tibi prodit ab ore, sed ipsos
Non temeré possit qvale decere Deos.
Ullaq́ si lingvæ poterat pellacia, Morbi
Usq́ impuratas cæde, inhibere faceis:
Sanus adhuc lumen, Janus, vitale videret,
Mæstitiæ nobis caussa nec ulla foret.
Sed qvid? nulla valet vox flectere nigropeplarum
Eumenidum auriculas, scitáve dura poli.

Ut sua cuiq; dies vénit, subitó ire necesse est,
Sive seni, juveni sive, ubi Morta vocat.
Sicq; Gulelmi, atræ traheris freta ad extima lethi :
Vita sit utq; hominum nil, nisi bulla, doces.
Heu! heu! Gloriæ obis malé in ipso limite, crescens
Cúmqve tuo pariter corpore fama jacet.
Qvid loqvor infelix? non. non heic, Jane, perustis
Nil præter cineres Parca lucrata tui est.
Ardua nam vis ingenii, sapientiáqve acris,
Et supra seclum hoc cum pietate fides,
Non unqvã putrefacta gravabunt transtra Charon-
Tantillũ aut minimâ nocte premẽtur humi (tis,
Qvod tamen ut forsan contingat, tu juvenẽ usqvã,
Cujaci, spolium Persephonæ esse sines.
Sed, qvod viventi tunc non impendere qvisti,
Adjiciet bonitas manibus omne tua.
Constituesq; illi passim monumenta, vetustas
Lædere qvæ neqveat, vel pluvii ira Jovis.
Verúm qvæ prono veneretur vertice Livor,
Et lacrimis qværat sæpe rigare suis.
O ita dia velis, Cujaci, gemma Themistis!
Sic per Nelidæ tertia secula eas.
Et sic Vatis agas annos, qvam flavus Apollo
Ad Veneris frustra sollicitavit opus :
Euboiciq; qvæ adhuc numerum explet pulveris, ævi
Nec potis ulla sui constituisse modum.

Aut

Aut potius, quoties gravior graviorq́ senectus
Ingruit, unigenam sic imiteris avem:
Inq́ rogo senium omne tuum fervente relinquas,
Mox & adolescens effigiere novus.
Quó tu laude tuâ longúm usq; utare fruare:
Nos te, totq́ tui dotibus ingenii.

AD PORTITOREM INFERUM.

VIII.

AD qvid, Nauta Charon, Crepidini adstas?
An forsit Gulielmium tulisse,
Uná cum populo hoc inerte, qværis
Trans hæc, Persephonæ ad domum, fluenta?
Há, há solve ratem senex. profanum
Qvi vivens odio Vatiniano
Plebem odit: qvoq; nunc Vatiniano
Non odisse odio haut potest eosdem.
Abi ergo. Isti enim Amor modó pharétram
Substernet vice Navis. Arcus autem
Instar Mali erit ardui. Rudentes
De torto faciet repente nervo.
At, qvod lumina linteum obtegebat,
Sinus carbasei locum obtinebit.
Remorúmqve modo sagitta utrinqve
Secabit Gulielmius profundum.
Ad clavúmqve sedens Cupido, cunctas
Igne discutiet facis tenébras.

Portum

Portum ac jam levi uterqve puppe inibit,
Qvum vix trabs mediâ tua ibit undâ.
Id qvid. Nauta igitur crepidini adstas.

AD JOSEPHUM SCALIGERUM, ET JUSTUM LIPSIUM.

IX.

ESse qvid hoc dicam, Doctorum pensa Virorum
Qvód pessum assidué Parca det ante diem?
Occubuit certé nonæ in trieteridos annis
Nobile Palmerii, Lotichiiqve caput.
Inqve locum hinc communẽ abiit crescente juventâ
Falcoburgius, ac Papii amabilitas.
Nec minus aligeri infantis gemma illa Secundus:
Illáqve Athenarum gloria, Ratlo, Deæ.
Vidit Canterus, viditqve Ducatius Orcum,
Lanea vestibat vix ubi barba genam.
Ut qvoqve & ille, mihi affinis qvi nomine, & ille
Qvem nunc defunctum mæstiter ipse fleo.
Suntné homines odio Melici Cælestibus? aut Mors
Diis charos gaudet falce suâ metere?
Neutrum eqvidem credam. sed si, qvod & arbitror, (ausim
Dicere: itá claré dixerim, & ex animo:
Qvodcumqve est Numen, seu Divus, seu Dea, Olympus
[illegible] dat censurã in Musicum habere gregẽ:
Vinitor

Vinitor exemplo est ipsi, qvi, ubi palmite multo
Vitis adaugetur, malleolisqve veget:
Ense venit cotem redolente, atq; amputat omne
Undiqve silvarum luxuriantium onus.
Utq; manet reliqvus vix surculus unus & alter,
Sicam frondatricem ejicit é manibus.
Illaq; sollicité commendat brachia fulcris:
Ut mox alta magis, gradiaq; ad polum eant.
Frendenteisq; Notos, rapidum spernentia & imbrē,
Proventu exhibeant uberiore merum.
Scaliger, Europæ florentis adorea princeps,
Túqve renascentis, Juste, pater Sophiæ,
Qvando tandem eritis docti satis atq; diserti?
Vidimus heu, juvenum satq; superq; vices!

IN ASTRA ET COELOS.

X.

HAs, scio, surdis foribus qverelas
Fundito. qvid tum? volup æmulari est
Garrulæ lingvam Philomelæ, Ityn qvâ
Plorat ademtum.
Téne ut ipse unqvam, Gulielmi, acuto
Desinam accentu ingeminare? Símve
Lassus ad chordæ strepitum tibi altas
Dicere laudes?
In te amor nolit meus hoc, vitetq; hoc
Inclyta Princeps Cypri: abominetur

Hoc

Hoc Camœnarum chorus: hoc solutis
Gratia Zonis.

Ergo, age, ô deinceps, Lyra multinervis,
Perpetim intactum meditemur horis
Singulis carmen, penetret qui & Orci ignobilis aureis.

Vósq., vos altis, Oculi, innatate
Fletibus largé: ác facite hinc & illinc
Impetu vasto lacrumationum
Fluctuet æqvor.

Impium hâ cœlum, tetricaéqve stellæ!
Cur dii vobis ita jus supremum in
Corpus humanum dederunt, sine ullo
Fine modoq́?

Tanta committi minimé potestas
Debuit vestris humeris: erat vel
Curiosé mox cohibenda certo
Fine modoq́.

Nunc satæ-Nocti ut placeatis, orbis
Tollitis raptim decora ampla, & ire
Improbas merces datis æviterni
Per numerum ævi.

Pergite ut vultis. propé at esse tempus
Auguror, qvo vos simileis scietis
Nesciæ Capræ, catulos lupinos
Quæ ubere lactat.

Hac

Hácque me certé nisi spe foverem,
Non foret noster redigendus ullum in
Ordinem luctus, fremeret sed instar
Oceani æstus.
Hácque me certé nisi spe foverem,
Sæpe finem antehac generosiore
Dexterâ vitæ imposuissem, ab omni
Parte sinistræ.
O dies illa appropera! ac tueri
Da Astra, Cœlique Orbem homicidam ab alto
Culmine actutum ruere, ac feræ ire in
Præmia Morti.

ASSIMULATIO
XI.

Hippolyti corpus lacerum hac illacq; jacebat,
Desolatâ Herebi nante in aquis animâ:
Qvum venit, & fractos medicâ arte resuscitat artus
Phœbigena, ac manes turbido ab amne ciet.
Fatalis non tale tulit facinus Jovis ira:
Chirurgum, en, Cereris sed rapit ad generum.
Tu quoq;, dum haut uno fœdatos vulnere, Romæ
Asseris in priscum, Jane, decus Proceres:
Qvósqve diu infernis totos Proserpina clatris
Clausit, Solares cernere das radios.
Fiscum qvesta inopem Libitina, vacareq; qvesta
Mors falcem, & Clotho haut jura sua esse rata:
Ocyùs

Ocyus invadunt, Gulielmi, te impete magno,
Transmittuntq́; decens Persephone spolium.
At tu etiam, Gulielmi, obitu gaude mihi in ipso:
Et vel adhuc multúm candido ova Alipede.
Nam qvi servatos ob cives óccidit, illi
Jus itidem est ipsa in morte triumphum agere.

LOQVITUR SEPULTUS.

XII.

DUm veterum purgo Scriptorum putrida mēbra,
Eumenidumq́; veto posse premi pedibus.
Et dum ave felici jam corpora conclamata,
Ex ipsis jubeo surgere sandapilis,
Invidiam merui Superûm: atq; in puberis ævi
Tempore nigrantes cogor habere domos.
Sic qvoq; adiit sanato Epidaurius Hippolyto orcum,
Cujus ob exemplum & pœna mihi ista levis.
Fors enim & illa dies propé adest, qvâ fata secutus
Ipsius, hinc pretio vel prece liber eam.
Aspiciensq́; iterum Phœbéam lampada, major
Surgat honos decuplo; qvám fuit anté mihi.

ALLOCUTIO.

XIII.

SI potis est hominum accentus descendere ad aulā,
Qvam novies Erebi lurida circat aqva:

Siq́

Siq́ꝫ qvit antiqvi nunqvam interiturus amici
Defunctorum animis se illatebrare dolor.
Has voces, has luctisonas, Jane, accipe voces,
Cordoliiq́ꝫ mei te grave tangat onus.
Nempe Deis credam curæ mortalia? credam
De mundi fatis sollicitum esse Jovem?
Qvum videam in primo, Gulielmi, flore juventæ,
Stamina netriceis sic tibi rumpere anus?
Qvum videam Herois trissecli ante ire senectam
Vita tributa qvibus pro meliore sale est?
Vah! qvicunqꝫ Deûm astratâ prospectat ab arce,
Aut ridet, nos atqꝫ astragalûm vice habet:
Aut ut cœlesti securior incubet ostro,
Clavum orbis Fortunæ imposuit manibus.
Qvæ, licet inconstans, nimium constans tamen est,
Vult prodesse malis, vult nocuisse bonis. (qvum
Sic nunc illa jaces Charitum illibata medulla:
Mercurii ille lepos, ille Cupidinum amor:
Illa novenarum cura unica & una sororum:
Ille gravis priscæ simplicitatis honos.
O spes fallaces! qvo nunc cura illa laborq́ꝫ?
Sobria qvóqve Ceres? sobria qvoq́ꝫ Venus?
Et qvorsum totas hyemali sidere nocteis
Ad lychni exiguam pervigilasse facem?
Scilicet ut dicat tua calcans busta viator:
Ah, qvanta heic tecum cura labórqve jacet!

L *Sint*

Sint aliis in amore Duces oculi, es mihi visus,
Ullo nec tibi sum tempore visus ego.
Et tam̄ haut te aliter, Gulielmi, amplector amore,
Quám mater natos, quám generósque pater.
Quám vitam imó ipsam, quám si qvid carius ipsâ
Stat vitâ. Sed qvid carius uspiam eâ?
Fallor? an heic regnat qvoq; inaspectabile Numen,
Qvale Helenâ invisâ fecit amare Parin?
Sic est. Heic Numen qvoq; inaspectabile regnat,
Absentésqve catâ glutinat arte animos.
Dū instructam ex humeris gestat, Pueri alitis instar,
Inviolabilibus missilibus pharetram.
Non tamen effictis Æthnæ in fornacibus, alté
Flammivomi tinctis nec Phlegetontis aqvâ:
Sed qvæ Erato probé inundavit Permesside lymphâ,
Formavit propriâ Melpomeneq; manu.
His tetigit certo Deus ille mihi intima jactu
Pectora, divino incendit & inde jecur.
Qvæ nec ita ut se habeant, sed habent se ita, nec negat hoc qvis,
Qvám qvi almi ignotum nomen Amoris habet.
Ah, qvibus est ita cor triplici obseptū chalybe, illū ut
Non secus ac fibras diligat atq; oculos;
Nulla fames cui opum, cui nulla sitis vaga honorū,
Mens nec in elato corpore tristis adest?
Sed pectus nive candidius, sed provida virtus,
Obvia sed sanctæ dextera amicitiæ?

Tu

Tu talis certé, invisus quoq; amatus es á me,
Virtutem rebus qui omnibus antefero.
Quæ quamvis ita non foret in precio mihi, at illud
Ingenii poterat me allicere acre jubar:
Illáque juncta serenatæ facundia linguæ:
In scriptis passim quæ mage clara tuis,
Quám Solis radii esse solent, quum axe auricolore
Herculee incedit per tua terga Leo.
Há quoties dixi: donet modo Juppiter annos
Jane, tibi, & priscos qui exsuperabis eris:
Quá rara morum antiquûm, probitatéque vitæ,
Quá doctrinarum fertiliore penu.
Dixi ego. Sed venti mea vota tulère per æquor,
Et Rhadamanteos ante diem isti ad agros.
Ergo tui nunquam fiet mihi copia, Jane?
Non tuâ erit facie unquam alloquioq; frui?
At me ad Gallicum iter malé sanus jam accingebã,
Spēsq; erat ante dies sexdecim adesse tibi.
Jamq; mihi raris numeris hinc inde legebam
Quæ peregré adveniens carmina culta darem.
Atq; ita dicebam: Sic lustrer Apollinis umbrâ,
Ut mihi amicorum semper ocellus eris,
Et tecum longas gaudebo fallere nocteis,
In solidum æstivos & jugulare dies.
Unus & ex omni sociorum examine stabis
Cui noti lusus, seria cuiq; mea.

Dixi ego. ſed venti mea vota tulére per æqvor,
Et Rhadamanteos ante diem iſti ad agros.
Rhene pater, duplici qvi mœnia tramite inerras,
Engiſthi qvondam ſurgere cepta manu,
Heic ubi nunc Douſæ auſpiciis, feliceq́; ductu
Lipſii, amant Batavi verba latina loqvi.
Qva viſus ſum mente tibi, ſcheda qvum illa Me-
De Gulielmi obitu fecit amara fidem? (liſſi
Talis ad Euryali cædem Hyrtacides: Cytherea
Talis ad exanimi funus Adonis erat.
Tunc ſubiit ſubitum virus præcordia, ab omni
Frigida currebat tunc mihi corpore aqva.
Incuſansq́; Deos, & cœli ſidera iniqva,
Collapſis ad humum ter cecidi articulis.
Optaviq́; ejus revocare meâ nece vitam,
Aut paſſu Orcinos ire pari ad lemures.
Ah, neutrum potui, fatorùm at lege perenni
Vitam agere in lacrimis cogor & in gemitu.
Et tamen eſt vel ſic, fateor, mihi vivere gratum:
Impendam ut gemitus hos, lacrimasq́; tibi.
Qvos gemitus, qvas & lacrimas tibi habe, Gulielmi,
Nunc monumenta meæ vivida amaritiæ.
Mox ubi amica magis cœli facies erit, arvaq́;
Incipiet Zephyri vermiculare tepor:
Bitturigum pergam muros petiiſſe rapaceis,
Adveniamq́; tuos flebilis ad tumulos.

Voce

Voce tuámque altâ inclamans umbram, omnium
Et florum cineri suppeditabo genus. (odorum
Intereá, auratâ seu Titan lampade terras,
Sive soporiferis Cynthia lustrat equis,
Assiduè ipse meo, Gulielmi, habitabis in ore,
Assiduè & de te carmina mœsta canam.
Qualia Strymonios Orpheus formabat ad amnes,
Dum miser Eurydices fata iterata gemit.
Jámque vale præ cunctis unice amate mihi une
O Gulielmi, æternúm ô mihi ave atq; vale.

AD VIATOREM.
XIV.

FLore, Viator, humum decora. heic etenim ille
Flos quondam Gulielmius orbis. (quiescit
Quem veluti vernus nascentem aspexit Eous,
Aspexit Vesper morientem.
Illi candor erat, qualem rosa punica habebit,
Si lactis temerè incidat obbam:
Spectantúmque ad se numero rapiebat amorem
Spiritu odoriferæ illice linguæ.
Mentior. há dudum tumulo quoq; flos novus isto
Exisset, nisi terra maderet
Imbre putris nimio lacrimarum, prætereuntum
Qui de oculis pluit agmine vasto.
Quod si paulisper fletu moderére, Viator,
Fiat humus dum sicca mage omnis:

Actutum vario prodire colore & odore
Conspicies florem hócce sepulcro.

AD PATRIAM DEFUNCTI.
XV.

LUbeca, ocelle nuper urbium, qvotqvot
Mané exerens os, vesperi inserens Nereo:
Perenni-clara lampade aspicit Titan:
Qvænam te ita horrida afflat aura Fortunæ,
Ut ille majestatis arduus splendor
Stet obsoletus sqvalidi situ luctus?
Et ille, verberans modó polum vertex,
Dejecto eat nunc in nigrantem humum vultu?
An fors, parens tenerrima, ad tuas aures
Delatus est rumor qvoq; ille funestus,
Gulelmium qvi diceret periviſſe?
Nondum ah! sed alté saucia es cor, abs illo
Qvód separata mille millibus multis
Amabili paviſſe lumina aspectu
Desideras incassum: abest q; fœcunda
Reconditissima illa vena Svadelæ. ah!
Ah! si dolorem illum diu dolere atra
Te Fama vellet, auribúsqve non uti
Posses. enim Deos tuam in ruinam, ipsa ac
Elementa conjurasse proximum est vero.
Frustrá, heu, tibi nomen Parentis est. natus
Fuit tibi mage unico unicus. magnus

Gulielmius

Gulielmius, dico fuit, decorq; ille
Defloruit præstantis oris & lingvæ:
Sicut remota in valle Amaracus: terræ
Qvam immanis aër, Auster aut venenato
Invasit halitui virente paulatim orba
Honoræ formæ germinantis, expirat:
Herbisqve langvido incubat suis collo.
Proh sortem iniqvam! proh gravissimum casum!
Nunc, nunc, Lubeca, ô ungvibus genas carpe,
Nunc vellito á radicibus capillorum
Suggestum opacum: eburq; pectoris candens
Inusta turpet multiplex nota, ac pullo
Amicta tegmine, hinc & inde turbatos
Cie ore lacrimosiore clamores,
Majora nunqvam vulnera ulla in ævo ullo
Tulit, ferétve fœmina. heu, tui celi
Abivit ille Sol, tuúmqve regnum atra
Caligine involvit; timorq; is est constans
Ne surgat alter, qvi tibi ferat lucem.
Heu! heu! Lubeca. laneæ genæ nati
Blanda admovebis oscula amplius nunqvam.
Nunqvam amplius lacertis obvium stringes
Tenacibus. tibi nec illa sub densis
Gulelmicos jugis reponet accentus
Iocosa Lingvæ filia Aërisq; Echo.
Non nominis tui vim ad æthera excelsi

Montes ferent: non maxima æqvoris monstra,
Non arborum umbra, non vagi amnium fluctus,
Te Civitatium omnium canent primam.
Heu! heu! Lubeca. jam Hippocrenidas frustrá
Posthac reqvires tinniente per rura
Palatim euntes barbito, entheum aut carmen
Lingvâ integrantes. non in herbidis posthac
Rivi ad fluenta murmurantis umbraclis,
Fusæ jacebunt Gratiæ, suâ ac raptim
Cum Principe, atq; Amore, humum pede alterno
Sub Populo patentiore pulsabunt:
Natúmqve laudibus supra globum astratum
Ferent tuum. nec jam profecta turmatim
Ex omnibus plebs plurima angulis mundi
Curret, Lubeca, te anxié salutatum:
Flexoq; adorabit solum genu, primúm
Gulelmius cui institit pede humenti.
Quondam hæc fuére. qvæ omnia abstulit secum
Ad regna subterranea inclytus natus:
Olim inclytus: nunc, heu, dolorq; luctúsqve,
Digitis dum onus tribus levatur! ô fatum!
O sortem iniqvam! ô miserrimum casum!

APOLLO, MUSÆ PARENTANT.

XVI.

FRustra es, Castalium Musas qvi qværis ad amnẽ,
Triga suũ illa triplex hospitium heic sibi habet:

Et

Et manuum flictu, singultatoq; tenore,
Cuncta oriente replet, cuncta cadente die.
En ut demisso incedant capite. en situ ut atra
Austeris Citharæ fila rigent lacrimis.
En ut inornatus monumenti nunc agrum oberret:
Nunc sedeat cryptæ Cynthius ante foreis.
Há, há, parce Aganippeas qvid poscere Divas.
Quisqvis es: há Phœbo fundere parce preces.
Hic nec enim poterit, poterunt donare nec illæ
Quod sibi sit dignum, qvod lubitumq; tibi.
Quin, si qvod cor habes, te junge age flentibus ipsis.
Nunqvã homini turpe est Numina velle seqvi.
Sin petere est aliqvid volup: hoc pete, qvod sit ab omni
Parte venenato tristius helleboro.
Sed potius libeat te jungere flentibus ipsis.
Rarus honos homini Numina posse seqvi.

AD JACOBUM BONGARSIUM.

XVII.

CIncte caput rarâ augustum, Bodryane, coronâ:
Cui comes it Venus atq; Cupido.
Quidnam, sive Istri lustras gelidi oppida, sive
Hungariæ qvondam inclyta regna,
Mentis habes, qvum tot vexant insomnia sensus
Tótqve sonat læva omine Bub ?
Quumq; iter ingresso ferale adsibilat Angvis,
Nec cessat strepere improba Cornix?

 Hæc

Hæc num fortè viam certò portendere scævam,
Aut modò jam excidia ultima reris?
Talem heu pone metum. Diis ingrederis viam a-
Pensa neuntq; tibi aurea Parcæ. (micis:
Aurea: sed pullis aliqvantum interlita filis.
Namqve meré cuinam Aurea pensa?
Hincq; tibi auguria hæc, ingratæ nuncia cladis,
Inculcant, vixisse tuum illud
Dulce caput, qvòd te geminis mage amabat ocellis:
Qvodq; oculis geminis mage amabas.
Discidium, inqvam, ah ingeminant Gulielmii a-
Ad stupidæ cava viscera terræ. (cerbum,
Heî, qvis nunc hominum fidât crescentibus annis?
Qvis generosi in corpore membris
Fortibus? ingenii qvis nobilioribus ausis?
Qvis Fidei almæ, qvis Pietati?
Occultè á latere it nobis fati alta potestas,
Incautisqve manum subitam infert:
Vitalem & calido exugens é corde vigorem,
Nervorum omnia vincla resolvit:
Exangvem inde animã antra ad caligantia mittit,
Caussam ut agant Orci ante tribunal.
At, Bongarse, tuâ fide, an unqvam Musica majus
Accepit respublica vulnus?
Illo seu sit opus, qvi præstet opem Criticâ arte
Affecti Scriptoribus ævi:

Sive

Sive illo, eruat é gravidâ qvi pectoris arce,
Multa lini dignißima cedro.
Sive illo. ulterius qvid eo? heu horresco, & in acrem
Singultum rapior, bone tecum
Bongarse; haut ullo nam qvamvis tempore visus
Ipse ego ei fuerim, ille mihi ve:
Stat tamen in fibris mihi scalptus imagine vivâ:
Ex qvo te toties totiesq́;
Os ejus memini veré doctumq́; probumq́;
Mellifluâ olim extollere voce.
Sed cunctos, Jacobe, dies Gulielmium acutis
Luctibus ut, fletúqve gemamus:
Unqvam an mixta piis lacrimis qverimonia flectet
Villosas Stygii canis aureis?
Ergo ejus potius vivaci nomina plausu
Per terras vulgemus & æqvor.
Omnibus inqve locis tumulos statuamus inaneis,
Currentum propé littora aqvarum:
Qvos circũ choreas Nympharum exerceat agmen,
Et modulentur arundine Fauni.
Floréqve qvos Dryades sylvaq́; virente coronent,
Irrorentq́; liqvoribus Indis.
Fallor? ita an Gulielmiaci mage fama sepulcri
Notescet, qvám si ardua Regum
Ægypti anteeat miracula, verticeq́; æqvet
Marmoreó cœlestia templa.

AD

AD PROMETHEUM.
XVIII.

QUám benè Caucaseâ ô pendens in rupe Prome-
Carnivorâ aßiduó carperis á volucre! (theu,
Per te Mors, varias facies induta nocendi,
Innumero graditur cincta ministerio.
At prius ad latus illi ibat tantum una Senecta,
Imbelles tenui armata manus jaculo.
Non tamen in quosvis quem spargeret ordine nullo,
Verum in eos, cœli queis foret aura gravis.
Annorúmve ita queîs series ambederat artus,
Cernere prono irent ut silices capite.
Nunc veró varii generis se ubi plurima pestis
Vase resignato proripuére foras:
Nocte sata in tantum intumuit furor, ausit ut altis
Voce minace loqui non bona verba Deis.
Ah, há Cœlicolæ! multúm, multumq; cavete.
Jam petit astra suis Morta veneficiis.
Jam petit. ecce rudimentum Gulielmius ipse est,
Elinguis qui, eheu, exanimusq; jacet.
Qui, sit ut haut vobis æqualis in omnibus: at quis
Vos tamen insequitur proximiore gradu?

COMPARATIO.
XIX.

SIcut odorati per amœna rosaria Pæsti,
Sedula dum illustri remigio errat apis:

Floreq́, nunc sibi ab hoc, rores nunc lingit ab illo,
Distendat cellæ qveîs tabulata sua,
Imprudens in araneæ opus leve fertur & atram
Sæpe venenato puncta pede necem adit.
Sic te ubi scriptorum omne genus, Gulielmie, inescat,
Per qvos & Latii, & Graciæ honora plaga est.
Indéq; pingvem omnem juvat emulsisse medullam,
Ac lingvæ accentus non finis esse rudes,
Circum retiris, miser heu, indagine Mortis?
Circum retiris heu miser, & moreris!

ALITER.

XX.

ALveolo exierat, Solisq; illecta lepore
Jam spaciabatur per nemora herbida Apis.
Et nunc de folio hoc, nunc de illo flore legebat,
Augendum facerent mellificum qvæ ad opus.
Carpitur heic succus Panaces, heic lili odor altus:
Illic libantur fila croci atq; thyma.
Hinc rapitur Clyties aurum, argentū inde Rosarum:
Nec violæ desit ros, nec anethi anima.
Jamq́; pererrarat florenteis undiq; campos,
Plenaq́; gestibat ceream adire casam: (thum,
Vidit in incepto qvum stare itere, heu, Amaran-
Cujus succum etiam dum populare volup:
Surculum avara init. at bené vix insederat illi:
A tergo petulans qvum ecce puellus adest.

Insidiásqve

Insidiásque agitans, aditus circumspicit omnes,
Suspensisq; ut Api proximus est pedibus,
Extenso raptim digito incautam occupat alas
Datq; in muccinio sordidiore locum.
Vixq; aliquo claudens sua gaudia fine, Parentem
Quærere it omne ampla per penetrale domus.
Inventæq; ita clamat: ades mea ô optima mater:
Bestiolam, en, cepi mirificé hanc micidam.
Bestiolam, en, cepi mater, pennâ auricolore.
Bestiolam, en, cepi mirificé hanc micidam.
Illa suo at metuens nato, ne forte bovina
Progenies dextram vulneret ardué acu:
Ah, cave, ait, mordet puer, hæc mala bestia, mordet:
Et raptam impositâ calce repenté terit.
Há miseranda Apis! Há effectrix lectissima mellis,
Occidis, & tecum há occidit ille labos.
Sic heu, sic etiam noster Gulielmius. at quid
Magna iterũ, ah, meâ cruda ulcera tango manu?
Há tetigi! ô quãtus dolor undiq; & undiq;! Amice,
Et tamen, heu, quoq; sic, sic Gulielmie, obis.

AD GABRIELEM ROLANDUM, ET CASP. SCURMANUM.

XXI.

CAspar & Gabriel, beatiores
Mystæ Virginis aureæ, suum jus

Quæ

Quæ librâ tribuit cuiq; & ense.
Nunc ô lætitiaéqve & illecébris,
Nunc ô blanditiis facitiæq;
Frangatur gula, mox vel universim
Has & lætitias & illecébras,
Has & blanditias facetiasq;
Portare in mare Atlanticum date Euris :
Nam pulcrum jubar ætheris reliqvit
Lubeci, heu Gulielmius smaragdus,
Europæ Gulielmius potens spes,
Musarum Gulielmius merus flos,
Cypriæ Gulielmius voluptas,
Vester, heu Gulielmius, meusq;.
Qvo nullus probior, modestiórqve,
Aut his est, aliis eritve in annis.
Ejus, ah, tumulum alluit recentem
Pallidus Ligeris latex, prope urbem
Levam Bitturigem : nec hospitalis
Sancta tessera, nec tot optimarum
Rerum cognitio ardua, invidam illam
Illum dedecus orbis urbiúmqve
Tantillum potuit movere, abirent
Juberet Gulielmii á medullis
Febris pestiferam luem : imó credo;
Certé credo, ab eâ ore réqve raptim
Evocatam Erebi hanc profundo ab antro

Febris

Febris pestiferam luem; & profanam, &
Maximé omnium acerbam, ut illicó atris
Fatalem Gulielmii capillum
Tonderet sicelicibus, nec horam
Expectaret, eum qva Hera ipsa Averni
Tandem auferret : Et hoc eó ne homo ortus
Longé Balthiacum ad mare, in juventa
Flore præriperet, senum capillis
Destinata diu diúqve serta.
Vah! ne tam rigidé qvidem Lycaon
Excepturus erat Jovem ac ministros.
O veré pudor orbis urbiúmqve!
O veré Eumenidum omnium cloaca!
Jam scio, Gabriel bone atq; Caspar,
Ceæ næniæ uterq; opus retractat,
Auras implet uterq; & usq; qvestu,
Imbres depluit ac uterq; salsos,
Ducit vitam & uterq; luctuosam.
O factum Gabriel bonum atq; Caspar.
Ast ego prece desinente - nunqvam
Naturam rogito, ut mihi, instar Argi,
Det plures oculos, qveámve totus
In rivos male abire lacrimarum,
Qvó meum Gulielmium usq; plorem,
Plorem Bitturigisqve iniqva tecta.
Tu sed summe Deûm, si ob adparatas

Vobis

Vobis insidias, subire pœnam
Arcadem voluisti : ubi illa dextra
Nunc tua est ? Simile en scelus patravit
Bituriх pudor orbis, urbiúmqve.
Tua &, summe Deûm, jam ubi illa dextra est ?

MORS CÆCA ET SURDA.

XXII.

AD qvid captam oculis Mortẽ utile fingere Pictor?
Hei factis aqvilæ sat se acie esse probat.!
Sẽper enim involat in pulcerrima & optima qvæq;,
Impuráqve tenet á scabie usq; manus.
Sic multis, GULIELMUM é millibus eligit unum,
Mercurii, Gulielmum, & Charitum hospitium.
Eligit; ac vitam abrumpit teli unius ictu,
Tergeminæ Eurynomes proli, & Atlantiadi.
Hi, qvid ? veré ipsam pingis sine lumine Mortem,
Conscie adumbratis ludere imaginibus.
Nam si aspexisset planctum, qvestus & amaros,
Qvos movére novem, mortuo eo, Aonides :
Qvanqvam adamante magis dura aut triplici ære
Non damnare suum non potuisset opus : (fuisset,
Tactaq; cordivoro varié varieq; dolore,
Deposito ereptam restituisse animam.
Atq; utinã audisset saltem. sed & aurium adæqve,
Usum, ne auscultet veré ei abesse facis. (ah

AN INTER DEOS REFERENDA FEBRIS.

XXIII.

QVin jam mortales delubra illustria surgunt,
Febriq́ innumeris sacra stat Ara locis?
Major enim ditio Furiæ, majorq́ potestas,
Qvam qvibus astrorum lucida templa patent.
En: cinctum ipsa caput Gulielmii amabile lauro,
In qvam nil cœli fulmina juris habent.
Non metuit portentifico incestare veneno,
Vulnereq́ immani mittere ad Æaci aqvas.
Sed qvid tũ? heu cessate! hominũ nam flectere si illã
Non potuit gemitus, non Superũmq́ dolor:
Frustrá ut placetur, delubra illustria surgant,
Frustrá & ei innumeris sacra stet ara locis.

CENOTAPHIUM.

XXIV.

HOc monumen posuit Gulielmio inane Gruteri
Officiosus amor.
Testatum ut cunctis faceret, Mortis propere ungve
Optima qvæqve rapi.
Nam frustrá est, ipsum qvi heic claudi ac enthea
Tot bona posse putet. (mentis
Iis digné ut detur tumulus: sit terra vice Urnæ,
Pro Capulóqve Mare.

Omnis

Omnis & in salsos lacrimarum funditus amnes
Lympha eat Oceani.
Stetq; sepulcrali totum pro fornice Cælum,
Astráqve pro Facibus.
Gréxqve Deûm cineri noctuq; diuq; parentent
Esurie atq; siti.
Donec protractis inferno è carcere, ad unam,
Indomitis Furiis,
Cultrum adigatur iis per guttura, sangvine placent
Et Gulielmiadem.



MEMORIÆ
SACR.
JANO GULIELMIO
LUBECENSI,
SANCTISS. MORIBUS JUVENI ET
VERE FLORI ILLIBATO
INGENIORUM,
AD ÆTERNIT. ROMANI
NOMINIS NATO,
EJUSDEM
SEMPITERNO DAMNO
DENATO,
JANUS GRUTERUS
AMICO INCOMPARABILI
EJULATIONE DAMNATUS
HOS TITULOS HOC MONUMEN
CHARTACEUM
QVIA MARMOREUM NON
POTERAM
B. M. P. S. D. M.
VALE ET SALVE ANIME MI GULIELMI
DISCEDENS TERRAM TIBI DICO LEVEM.

DEO

DEO OPT. MAX. SACRUM.

JANO GULIELMIO, LUBECENSI,

DOCTRINA VARIA ET ANTIQVITATIS COGNITIONE PERINSIGNI,

ad ſpes magnas, ob acumen ingenii, de liberalibus & eloqventiæ ſtudiis operâ ſuâ promovendis & ornandis, qvorum cauſa Galliam luſtrarat, erecto:

AT IN PRIMO JUVENTUTIS LIMINE NON ABSQVE MULTORUM LUCTU E VITA SUBLATO:

AMICI POSUERUNT.

Καὶ λάτριν γένησε Λύβη μούσαισι ποθεινὸν,
Τὸν ῥοδιὰς βάρνου ποτὶ ῥεῖθρ' ἐθρέψατ' Ἀθήνη
Ἀμβροσίῃ διδαχῇς, ΙΛΕΡΜΙΟΝ. οὐδὲ γὰρ αὐτὸν
Εἰς σοφίην σπουδῶν νίκησέ τις ἡλικιωτῶν.
Τοὔνεκα καὶ νέος ὢν ἐνὶ ἀνδράσιν ἐστεφανώθη,
Αὐσονίης γλώσσης εὖ εἰδὼς, ἱστορίων τε
πασέων, καὶ κλεινοῖς ἐν ἀοιδοῖς κλεινὸς ἀοιδός:
Τῇ κριτικῇ δὲ μάλιστα διέπρεπεν, ὅιάτε παιὰν
λεξιὸς ἀρχαίων ἰήσατο τραύματα βίβλων,
Καὶ μάλ' ἐπισταμένως ξυγγράμματα καλὰ ποιήσας,

πρὸς βάριην, καὶ πρὸς ῥῆνον, καὶ ἐπὶ χθονὶ κελτῶν,
Ἀλφηστὴς χαρίτων ῥωμαιοτρόπων, μέγ' ὄνειαρ
Τοῖς φιλομούσοις, ἠθ' εὗρεν καὶ πατρίδι δόξαν.
Ὤφελον ἄρα ζῆν μακρὸν αἰῶνα, καὶ ἡμῖν
πλείονα θεσπεσίων μυστῶν μυστήρια δεῖξαι.
Οὐ τριακοντάτης δ' ἐδαμάσθη κηρὶ βαρείᾳ:
εἶτα δ' ὀδυράμεναί μιν λήθης τ' ἐξερύσασαι
Κῦδος ἀείμνηστον παρὰ παύροις ἀνδράσ' ἔδωκαν.
Οὐ γὰρ ἐπίσταιντ' ἂν πλέονες μέγεθός τι κλέος τε
Δαιμονίης ἀρετῆς, καὶ ἀληθείας τριποθήτου.

Ἰωάν. Κασήλιος.

Si licet humanos animos adfingere divis,
Aqvæ ſacris lacrimas poſcere Virginibus:
Deflete ô veſtrum Muſæ Charitésqve clientem,
Invida Germanis Gallia qvem rapuit.
Ille togam Græcis, & pallia Græca latinis
Indidit, interpres nobilis, ore potens.
Doctrinæ ſtudiis & ſplenduit unus Apollo,
Cunctis qvem Pallas artibus erudiit.
Lugete caſtum, celebrem, cultúmqve Poëtam,
Langvida qvi Plauti carmina reſtituit.
Grandibus hic auſis, Cicero tibi millia qvinq
Vulnera curavit, ſedulus arte, manu.
Cætera tam docto veterum monimenta labore
Perſanaturus, ſi ſupereſſet, erat.


Abdita

Abdita jam cœli mysteria noscere gestit,
Felix in summo quæ legit alta Deo.

Jo. Matalius Metellus
Seqvanus faciebat.

E Vepies, Sophiaéqve simul Grajæ atq; Latinæ,
Artis Apollineæ qvin utriusqve decus,
Hic Biturix Janum Gulielmum condidit, eheu
Qvám procul á Travo dia Lubeca tuo!
Qvám procul á Varno! qvorum illi exordia vitæ,
Culturam huic animi debuit ille sui.
Sed docto omne solũ patria est, commune sepulcrum
Terra dat in qvovis mater amica loco.
Janus ut & Celtas inter mitésqve Cadurcos
Hospes agens mediâ ceu fuit in patriâ.
Tanta illi virtus & morum gratia, tantus
Et vigor ingenii, judiciiqve fuit.
Trave dole, hoc etenim, licet id plebs perneget, unâ
Cum rapto, est apici gemmula rapta tuo.
Varne dole, meliúsqve tuum defende Rosetum,
Cui dederint similem vix tua fata Rosam.

Nathan Chytræus.



VALENTIS

ACIDALI

EPICA.

ROSÆ.

ELEGIÆ.

ODÆ.

EPIGRAMMATA.



Febris pestiferam luem; & profanam, &
Maximé omnium acerbam, ut illicó atris
Fatalem Gulielmii capillum
Tonderet sicelicibus, nec horam
Expectaret, eum qva Hera ipsa Averni
Tandem auferret : Et hoc eó ne homo ortus
Longé Balthiacum ad mare, in juventæ
Flore præriperet, senum capillis
Destinata diu diúqve serta.
Vah! ne tam rigidé qvidem Lycaon
Excepturus erat Jovem ac ministros.
O veré pudor orbis urbiúmqve!
O veré Eumenidum omnium cloaca!
Jam scio, Gabriel bone atq; Caspar,
Ceæ næniæ uterq; opus retractat,
Auras implet uterq; & usq; qvestu,
Imbres depluit ac uterq; salsos,
Ducit vitam & uterq; luctuosam.
O factum Gabriel bonum atq; Caspar.
Ast ego prece desinente - nunqvam
Naturam rogito, ut mihi, instar Argi,
Det plures oculos, qveámve totus
In rivos male abire lacrimarum,
Qvó meum Gulielmium usq; plorem,
Plorem Bitturigisqve iniqva tecta.
Tu sed summe Deûm, si ob adparatas

Vobis

Vobis insidias, subire pœnam
Arcadem voluisti: ubi illa dextra
Nunc tua est? Simile en scelus patravit
Bitturix pudor orbis, urbiúmqve.
Tua &, summe Deûm, jam ubi illa dextra est?

MORS CÆCA ET SURDA.

XXII.

AD qvid captam oculis Mortē utile fingere Pictor?
Hei factis aqvilæ sat se acie esse probat!
Sēper enim involat in pulcerrima & optima qvæq;,
Impuráqve tenet á scabie usq; manus.
Sic multis, GULIELMUM é millibus eligit unum,
Mercurii, Gulielmum, & Charitum hospitium.
Eligit; ac vitam abrumpit teli unius ictu,
Tergeminæ Eurynomes proli, & Atlantiadi.
Há, qvid? veré ipsam pingis sine lumine Mortem,
Conscie adumbratis ludere imaginibus.
Nam si aspexisset planctum, qvestus & amaros,
Qvos movére novem, mortuo eo, Aonides:
Qvanqvam adamante magis dura aut triplici ære
Non damnare suum non potuisset opus: (fuisset,
Tactaq; cordivoro varié variéq; dolore,
Deposito ereptam restituisse animam.
Atq; utinā audisset saltem. sed & aurium adæqve,
Usum, ne auscultet veré ei abesse facis. (ab

AN INTER DEOS REFERENDA FEBRIS.

XXIII.

QUin jam mortales delubra illustria surgunt,
Febriq; innumeris sacra stat Ara locis?
Major enim ditio Furiæ, majorq; potestas,
Quam qvibus astrorum lucida templa patent.
En: cinctum ipsa caput Gulielmii amabile lauro,
In qvam nil cœli fulmina juris habent.
Non metuit portentifico incestare veneno,
Vulnereq; immani mittere ad Æaci aqvas.
Sed qvid tũ? heu cessate! hominũ nam flectere si illã
Non potuit gemitus, non Superûmq; dolor:
Frustrá ut placetur, delubra illustria surgant,
Frustrá & ei innumeris sacra stet ara locis.

CENOTAPHIUM.

XXIV.

HOc monumen posuit Gulielmio inane Gruteri
Officiosus amor.
Testatum ut cunctis faceret, Mortis propere ungve
Optima qvæqve rapi.
Nam frustrá est, ipsum qvi heic claudi ac enthea
Tot bona posse putet. (mentis
Iis digné ut detur tumulus: sit terra vice Urnæ,
Pro Capulóqve Mare.

Omnis

Omnis & in salsos lacrimarum funditus amnes
Lympha eat Oceani.
Stetq́; sepulcrali totum pro fornice Cælum,
Astráqve pro Facibus.
Gréxqve Deûm cineri noctuq́; diuq́; parentent
Esurie atq; siti.
Donec protractis inferno é carcere, ad unam,
Indomitis Furiis;
Cultrum adigatur iis per guttura, sangvine placent
Et Gulielmiadem.



MEMORIÆ
SACR.
JANO GULIELMIO
LUBECENSI,
SANCTISS. MORIBUS JUVENI ET
VERE FLORI ILLIBATO
INGENIORUM,
AD ÆTERNIT. ROMANI
NOMINIS NATO,
EJUSDEM
SEMPITERNO DAMNO
DENATO,
JANUS GRUTERUS
AMICO INCOMPARABILI
EJULATIONE DAMNATUS
HOS TITULOS HOC MONUMEN
CHARTACEUM
QVIA MARMOREUM NON
POTERAM
B. M. P. S. D. M.
VALE ET SALVE ANIME MI GULIELMI
DISCEDENS TERRAM TIBI DICO LEVEM.

DEO

DEO OPT. MAX.

SACRUM.

JANO GULIELMIO, LUBECENSI,

DOCTRINA VARIA ET ANTIQUITATIS COGNITIONE PERINSIGNI,

ad ſpes magnas, ob acumen ingenii, de liberalibus & eloqventiæ ſtudiis operâ ſuâ promovendis & ornandis, qvorum cauſa Galliam luſtrarat, erecto:

AT IN PRIMO JUVENTUTIS LIMINE NON ABSQVE MULTORUM LUCTU E VITA SUBLATO:

AMICI POSUERUNT.

Καὶ λάτριν γένησε Λύβη μούσαισι ποθεινόν,
Τὸν ῥοδίας βάρνου ποτὶ ξεῖνος' ἐθρέψατ' Ἀθήνη
Ἀμβροσίῃ διδαχῆς, ΙΛΕΡΜΙΟΝ. οὐδὲ γὰρ αὐτὸν
Εἰς σοφίην σπουδῶν νίκησέ τις ἡλικιωτῶν.
Τοὔνεκα καὶ νέος ὢν ἐνὶ ἀνδράσιν ἐστεφανώθη,
Αὐσονίης γλώσσης εὖ εἰδώς, ἱστορίων τε
πασέων, καὶ κλεινοῖς ἐν ἀοιδοῖς κλεινὸς ἀοιδός:
Τῇ κριτικῇ δὲ μάλιστα διέπρεπεν, διάτε παιὰν
λεξιὸς ἀρχαίων ἰήσατο τραύματα βίβλων,
Καὶ μάλ' ἐπισταμένως ξυγγράμματα καλὰ πονήσας,

πρὸς βάριν, καὶ πρὸς ῥῆνον, καὶ ἐπὶ χθονὶ κελτῶν,
Ἀλφηστὴς χαρίτων ῥωμαιοτρόπων, μέγ' ὄνειαρ
Τοῖς φιλομούσοις, μεθ' εὗρεν καὶ πατρίδι δόξαν.
Ὤφελον ἄρα ζῆν μακρὸν αἰῶνα, καὶ ἡμῖν
πλείονα θεσπεσίων μουσῶν μυστάγια δεῖξαι.
Οὐ τριακοντούτης δ' ἐδαμάσθη κηρὶ βαρείᾳ:
εἶτα δ' ὀδυρόμεναί μιν λήθης τ' ἐξερύσασαι
Κῦδος ἀείμνηστον παρὰ πάντοις ἀνδράσ' ἔδωκαν.
Οὐ γὰρ ἐπίσταιντ' ἂν πλέονες μέγεθός τι κλέος τε
Δαιμονίης ἀρετῆς, καὶ ἀληθείας τριποθήτου.

Ἰωάν. Κασήλιος.

Si licet humanos animos adſingere divis,
Aqvæ ſacris lacrimas poſcere Virginibus:
Deflete ô veſtrum Muſæ Charitésqve clientem,
Invida Germanis Gallia qvem rapuit.
Ille togam Græcis, & pallia Græca latinis
Indidit, interpres nobilis, ore potens.
Doctrinæ ſtudiis & ſplenduit unus Apollo,
Cunctis qvem Pallas artibus erudiit.
Lugete caſtum, celebrem, cultúmqve Poëtam,
Langvida qvi Plauti carmina reſtituit.
Grandibus hic auſis, Cicero tibi millia qvinq;
Vulnera curavit, ſedulus arte, manu.
Cætera tam docto veterum monimenta labore
Perſanaturus, ſi ſupereſſet, erat.

Abdita

Abdita jam cœli mysteria noscere gestit,
Felix in summo quæ legit alta Deo.

Jo. Matalius Metellus
Seqvanus faciebat.

EVepies, Sophiaéqve simul Grajæ atq; Latinæ,
Artis Apollineæ qvin utriusqve decus,
Hic Biturix Janum Gulielmum condidit, eheu
Qvám procul á Travo dia Lubeca tuo!
Qvám procul á Varno! qvorum illi exordia vitæ,
Culturam huic animi debuit ille sui.
Sed docto omne solū patria est, commune sepulcrum
Terra dat in qvovis mater amica loco.
Janus ut & Celtas inter mitésqve Cadurcos
Hospes agens mediâ ceu fuit in patriâ.
Tanta illi virtus & morum gratia, tantus
Et vigor ingenii, judiciiqve fuit.
Trave dole, hoc etenim, licet id plebs perneget, unâ
Cum rapto, est apici gemmula rapta tuo.
Varne dole, meliúsqve tuum defende Rosetum,
Cui dederint similem vix tua fata Rosam.

Nathan Chytræus.



VALENTIS

ACIDALI

EPICA,

ROSÆ.

ELEGIÆ.

ODÆ.

EPIGRAMMATA.



AD VALENTEM ACIDALIUM.

MAtris Acidaliæ ten' Acidali ô optume, dicam
Filium in Idalio progenitum nemore ?
Sic Charites oculis; Svada ore; Mele aure triumphat;
Corde sales; animo gaudia; mente lepor.
Pulle ô in Idalio Sebethidum, in Aone Amoris,
Qvámqve huic, qvámqve illis deliciosa facis!
Sed qvid Ego infelix dico, FACIS? Atropos imo
Ne facias jaculo fecit acerba suo.
Sed faciat: factum tamen hoc facere haut pote inane
Qvod te cum Clariis fecit ovare tuis.
Donec erunt Charites, Charisin tu eris unà etiam ipse
Matris Acidaliæ Natus Acidalius.

CASP. CONRADUS
Uratisl.

DANIELI RINDFLEISCH BUCRETIO MEO,

salutem & fraternum amorem dico

VALENTINUS ACIDALIUS.

BUcreti Aonidumq́, Apollinisqve;
Bucreti Charitúmqve Palladósqve:
Bucreti Veneris Cupidinisqve
Amor, delicium, decus, voluptas:
Bucreti tui AcidalI unicum cor,
Una mens, anima unica, una vita:
En qvem vix modó luminis sub oras,
Te obstetricéqve, Nixióqve Divo,
Edidi gravidi é sinu cerébri,
En fœtum tibi debilem, caducum,
Informem, illepidum, artubúsqve mancum,
Maturum neqve sat, nimisqve crassum,
Indoctorum Epigrammatum libellum
Qvalem at cumqve tamen, tui illum amore
Conceptum unius editúmqve carum
Habe pignus amoris æviterni,
Et nostræ monumen sodalitatis,
Fraternæ monumen sodalitatis.
Qvod perenne qvidem haut erit: futurum

Tu

Tu puta tamen, ut meas qvid esse
Burras atq; apinas soles putare:
Ac Lucina uti partui huic fuisti,
Porró esto Statilinus & Levana,
Lucem qvó ferat, & diu superstes
Nostri præco sit his ubiqve & illis
Amoris, fidei, parisqve vitæ.
Sic vive Aonidúmqve Apollinisqve;
Vive sic Charitúmqve, Palladósqve;
Vive sic Veneris Cupidinisqve
Amor, delicium, decus, voluptas:
Sic persta tui Acidall unicum cor,
U*na mens, anima unica, una vita.*



VALENTIS.

VAL. ACIDALI EPICA.

AD DANIELEM RINDFLEISCH BUCRETIUM, SPONSUM.

ERgo novos iterum instituit celebrare triumphos
Læta Venus, novaq; ostentat jam rursus opimis
Cum spoliis, quâ vi partis, quâ fraude, trophæa?
Dic Dea, quis victus? tantus tibi quis jacet hostis,
Lætitiâ dignus tantâ? & quæ præda superbi
Caussa adeó fastus? pompæ inque solentis honores
Unde trahis, curru residens sublimior aureo?
Heu vereor, ne bella iterum solennia nostris
Moveris Aonisin, castisque inimica puellis,
Et sese castis qui sacravere puellis,
Miscueris turba imbelli tua sueta subinde
Prælia, fortunáque tuâ. Timeo heu malé, jámque
Jam spolium video, & nosco! pugnata recens est
Vobiscum, ô Musæ, pugna, & victoria vobis
Se solitâ levitate negans contraria fugit
In castra, & Veneri, constanter perfida, cessit.
Jámque iterum nova de vobis en parta trophæa,
Incluta parta trophæa, nimisque en rursus opima
Ablata spolia in celebremq; abducta triumphum.

En

En iterum veterem & carum amisistis alumnum,
Egregium, atq. diu qvo vos jactastis, alumnum,
Unum adeó ante alios, multorumq; instar, alumnũ:
Qvem vos præcipué á primâ usq. ætate colentem,
Mutuáqve á vobis concordi fœdere cultum,
Et multo ornatum certatim munere, vestri
Spem vobis produxistis certámqve columnam
Imperii, firmúmqve adversus barbara secla
Bellatorem, ipsúmqve ducem: qvi altaria vestra,
Templaq. & excelsis Sophiæ defenderet arces,
Latius & totum proferret sacra per orbem.
Hanc spẽ præsidiúmqve rapit Venus invida, & ipse
Non nimis invitus seqvitur, similisqve volenti,
Et certâ fugit acre fugâ, nil visus amoris
Jam vestri meminisse, novo pellectus amore:
Forte novâ & gaudens dominâ, nil curat haberi
Desertor diciqve, & véstra ante ora triumphus
Sic duci sibi gratatur. Gratatur, ovátqve
Ut video, & verso neqve jam vos respicit ore,
Vos dominas, neq. nos socios: vos tam bené semper
Promeritas, & nos tam sancté semper amantes:
Nec me adeó, nec me ille qvidem, illum respicit unũ,
Unum illum é reliqvis socium comitémqve perennẽ,
Qvo sine non ungvem movit sese hactenus usqvam,
Et sine qvo fatalem istam (sic censeo) in horam
Vita illi minimâ fuit haut vitalis in horâ,

En

Ex quo felici semel est mihi junctus in horâ. (bit:
Nam memini, & meminisse juvat, sempérque juva-
Lustra jerunt jam bina, Arctoa ad littora Balthes,
Edita quá Rosei celebrantur tecta Lycéi
Aonio numerosa choro doctáque juventâ,
Cum primúm inter nos Musæis vidimus Hortis:
Vidimus inter nos, neque longo novimus usu,
Et subitó inter nos animis simul arsimus æquis:
Arsimus inter nos: atq; hinc simul hæsimus æquis
Corporibúsque, animisque: exin ego fidus Achates
Ad latus illi, atq; ille mihi meus unus ego-alter
Perpetuó: neque me quondam divellere longúm
Improba sors potuit, divellere quamlibet ausa,
Cum me obluctantem Roseis pertraxit ab Hortis
In Gryphum Nemora, & solum colere avia jussit.
Frustrá: assertor adest meus, injectáque repente
Me dextrâ sibi rursum illustri vindicat auso:
Séque mihi reddens, & me sibi; se sibi, mi me
Reddit ovans, validoq; ligat per mutua vinclo.
Ergo Julia nos iterum schola vidit euntes
In paribus studiis, spatiis & currere iisdem
Æquali mirata gradu sub amoris habenis:
Germani sub amoris & arctis semper habenis.
Plausibus ac festis nos vocibus usque salutans,
Addidit in cursum vires, & honore favoris
Flammavit mentes, ignémque accendit in igne.

Mox

Mox utrique placet Germanica linquere rura,
Et regna antiqua Ausoniæ, terrámque potentem
Visere terrarum dominam: quó cura vocabat
Discendi, atq; avidus conjuncti pectoris ardor,
Plurima quæ nostris memorantur mira sub oris,
Lustrare intuitu propiore, & noscere corám
Singula, prudentique oculo præconia Famæ
Metiri, atq; ipsam penitus explorare recessu.
Heic comites paribus votis & passibus æquis
Longum iter ingressi, obstantes ascendimus Alpes,
Intrepidiq; uná vastas superavimus Alpes,
Alpibus & qui stat gravis æmulus Appenninum:
Atq; alios montesq; superciliisq; superbis
Despectas infrá & pressas ad tartara valles:
Et vaga tot sinuoso errantia flumina cornu:
Eridanum regem fluviorum, & verius alter
Qui rex sit, sacro venerandum gurgite Tybrin,
Et qui Campanis aliás taciturnus in oris
Amnis agens placidos leni fluit agmine cursus.
Tunc erat insolitâ tumefactus Liris ab irâ,
Et streperos volvens insani verticis æstus,
Mole urgente nimis pluvii Jovis usq; rotabat
Præcipitem violenter aquam, metuendus adiri,
Transiri impatiens, certo dubiusq; periclo.
Sed tamen hic nostro cessit quoq; lenis amori
Tantisper, dum securo transmitteret alveo

Incolumes

Incolumes, ripaéque adversæ redderet illud
Dulce sodalitii par non violabile cuiquam:
Quod veriti persæpé alii in discrimine rerum
Montesq́, fluviiq́, & formidanda locorum
Plurima passim, ipsúmque mare, Adriaciq́ tumores,
Intactum, non forté metu, sed casibus expers
Omnibus intentisque minis (Diis gratia) salvum
Et lætum vano sic dimisére periclo:
Quodq́ tribus, dum nos fovit simul Itala tellus
Unanimes, annis venerata est Itala tellus
Germanæ specimen fidei, atq́ exemplar amoris
Germanum agnoscens, & digno laudis honore
Condecorans. illicque adeó nos ipsa, jugum quæ
Hoc sibi nexuerant, quorúmque sub auspice ductu
Teutonicis pridem cœptamq́, actamq́ Lycéis
Militiam studii paris & concordis amoris,
Gymnasiis porró Ausoniis exegimus: ipsa
Numina nos illic nostra, ô lætantia nostri
Numina, Pierides, æquatâ deniq́ palmâ
Tam bené decursi certaminis exornarunt,
Inq́ vicem alterius victores atque suimet:
Et Lauru insignes fraternâ tempora fratres,
Et geminæ geminos spectandos fronde coronæ,
Ad patrium jussére solum cum laude reverti.
Tum quoq́ non libuit laxatum absolvere nexum,
Diversáque redire viâ. comes impiger h.est,

Impiger, indivulsus, & in patriam usq; secutus
Reddo suis, teneoq; mihi, teneorq; vicissim. (prorsus
BRESLAM adeó in patriam: qvæ mi patria altera
Visa fore extempló: & placuit consistere ibidem,
Atq; uno remanere loco, cupiente sodali,
Meq; volente simul. Sed enim prius illa vocabat,
Illa mea, Albi qvæ sat nomine nota Bacilli,
Mercurialis amat præferre insigne caducei,
MARCHIÆ arenosis qvá Dossam combibit arvis
Fœcundam agricolis sitiens producere messem:
Illa mea, & qvicunq; mei mihi adhuc super illic,
Me revidere avidi, desiderioq;,metuq;
Exanimi usq; exspectantes, tandemq; morarum
Pertæsi impatiente animo exspectare negantes
Amplius: ut paullúm amplexu disclusus ab isto
Cogerer amplexu meme indulgere meorum.
Atq; abii, celeriq; gradu mea pignora visi.
Sed vix vix abii & gressu magis inde citato,
Pace tuâ ô genitrix, & vos fratresq;, sororq;,
Vosq; omnes alii, qvos mi Natura propinqvi
Sangvinis associat nexu, qveis ora brevi sic
Nostra fruenda dedi, neq; longius ipse fruendis
Me vestris satians, cupidus satiarier idem,
Nec cupidus, raptim vixq; omnibus ordine mæsto
Ritè salutatis, properans abitum atq; iter urgens,
Ad mage dulce meum pignus curamq; recurri,

Pace

Pace iterum vestrâ, pignus curamq; meam unam
Dulcem exoptatamq; magis: cui dulcia cuncta
Posthabui & vestros sprevi non gratus amores,
Nec passus retineri aliis aliisq; tenendi
Injectis varié magno molimine caussis.
Unum arsi ante omnes, præq; optavi omnibus unum,
Et reperi rediens ante omnes unius unum
Usq; mei ardentem, præq; optantem omnibus unum,
Ergó iterum junctisq; animos & corpora junctis,
Una qvasi patria, & sedes fuit una duobus:
Certé eqvidē una domus, Museum pené qvoq; unū,
Unaq; mensa, torusq; idem, perq; omnia utrisq;
Cuncta una atq; eadem geminum communia in usu.
Nec diversa autem studia, aut aliena vicissim
Consilia alterius: semper joca, seria semper
Miscuimus, mensq; una alterna negocia rexit.
Vidére id multi, & stupuerunt sensibus imis
Fœdere consertis vitæ, fideiq; perennis
Lege novâ, exemplumq; novum huic socialis amoris
Illuxisse urbi tota urbs rumore secundo
Commemorans, gavisa sibi, gratataq; nobis,
Nobile amicitiæ par cælo vexit, & astra
Laudibus exeqvare dedit Fidei astra gemella.
Hactenus hæc & plura arcanâ mente reposta,
Qvæ memini & meminisse juvat, semperq; juvabit.
At versis male jam satis, lapsa omnia retró

 Nunc

Nunc video, & vidisse dolet, semperq́ dolebit.
Ille meus, meus ille, & nostrarum ille Dearum,
Unicus ille meus, Musarumq́ unicus ille
Ardor, deliciumq́, & non vulgata voluptas,
Nec vulgāda, decusq́ & honos Phœbo æmulus ipsi,
Præsidiumq́ & spes, atq́ irreparabile fulcrum,
Me pariter Musasq́, hei me pariter Musasq́,
Mutato aversoq́ animo, nil tale timentes
Destituit, subitaq́ fugâ se inopinus utrisq́
Eripiens nudos desolatosq́ reliqvit,
Audax excussisse jugum cervice rebelli,
Et frenum rupisse ferox, Venerisq́ capistro
Subtractum inseruisse procax caput: ô caput arctis
Jam vinclis indutum, & pressum mole catenarum
Insolitâ, graviusq́ jugum jam ferre coactum!
Et tamen Aonidum imperium & mea fœdera noster,
Imperium tam mite & dulcia fœdera, noster
Spernereq́, & Veneris potuit postponere duro
Servitio, liberq́ in mancupii ire cupit jus.
Tun' (& adhuc nomen sileo, trepidoq́ disertim
Edere. cor corpusq́ metu, dum cogito vibrat,
Et fugio infestum memorando augere dolorem:
Sed tamen ille idem cogit dolor edere nomen.)
Tun' BUCRETI, ô BUCRETI carissime noster,
At qvondam noster, nunc haut alienior ullis,
Tun' oblite tui, & fidei pactæ immemor olim

Communes

Communes interq; Deas nosq; inter amantes,
Tu me, tu nostras potuisti spernere Musas,
Pellacem & nobis, nobis præferre Dionen?
Hoc illæ meruêre, hoc de te ego? præmia sunt hæc
Digna mea, atq; illa est illarum gratia digna?
Ibit in ævum ergo, & didet per secula fama
Bucretl hoc facinus, desertum hominemq; Deasq;,
Deceptamq; utrisq; fidem, frustrataq; vota,
Et spem collapsam, in nihilú & magna omnia versa.
Sed parcam tibi, sed parcam tamen æqvus iniqvo.
Tu veró invidiâ nostrâ pulsatus abundè,
Qvando tuam in divam culpæ primaria transfers,
Et Veneri invidiam hanc rejicis; da crimen herile,
Fare age; qvâ te vi nobis, qvo averterit astu.
Nam neq; vi solâ, neq; solo averterit astu:
Ni simul astus inest in vi, visq; insidet astu:
Qvod reor, atq; aliter vinci haut potuisse videris.
Sed dic ipse modum, ut veniam mereatur honestam
Seu tua, seu Veneris, seu culpa utriusq; remista.
Dic age. qvid tacitus pudibundæ sangvine frontis
Ora notans hæres, nutuq; oculisq; renidens
Incerto mussisq; sono, atq; interprete dextrâ
Astantem ostendis sociatamq; ad latus ipsum?
Divámne, an cretam mortali semine nympham?
Acrius inspiciam. qvænam illa ô aurea virgo,
Virgo puellarum decus, effigiesq; Diones

 Ipsius,

Ipsius, aut Charitum unius, Charitum una vel ipsa?
Jam jam adeó agnosco: certé illa est illa celébris
Fama pudicitiæ, & castæ laus incluta mentis,
Illa verecundæ rarissima gloria formæ:
Cujus jam nostras quoq; pridem ac sæpé per aures
Rumor iit, nomenq; haut ullum clarius antris
Pieriis, nullumq; é virginitatis honore
Ipsis virginibus magis est venerabile Musis.
Illa illa est, video, manifestis prodita signis
ÆMILIA humanam supra speciem ore decenti,
Purpureis celebrata genis, flavente capillo,
Frontis eburnâ areâ, lactêi primâ nive colli,
Labrorum vernante rosâ, quæ sanguinis imbre
Roravit Venus ipsa sui: quæ desuper umbrat.
Liliolum nasi, menti infra stans hyacinthus
Fulcit, & auricularum ansata coralla coronant
Hinc atq; hinc: mediâ & rursum regione supinus
Tendit sese arcus productis usq; minatus
Blanda superciliis, sub quéis duo flammea ab orbe
Lumina scintillant gemino, radiisq; coruscis
Ignea spectantum tela ejaculantur in ora:
Hæc illa est, quâ te veteris Dea callida pugnæ
Incautum oppugnans, facilé expugnavit inermem.
Hæc illa est, cujus te advertens illice formâ,
Hamatis & blanditiis sermonis inescans,
Et morum viscato captabunda lepóre,

Et

Et delenificá prensans suadæ ambrosiæ vi,
Ambrosiæ é toto spirantis corpore suadæ,
Cepit in oppositum ultró omni impete rete ruentem:
Optatæq; bono prædæ lætata, triumpho
Insultat vacuis, & ridet inania vota
Verbisq; & lacrumis spolium eheu tristè sequentū.
Hæc illa est, facti precium, mercesq; patrati
Criminis, ad suasum quæ te corrumpere sola
Transfugium potuit, desertoremq; coëgit
Juratam temerare fidem & rata solvere pacta.
Digna equidem merces, & quæ, si fata volebant
Te Musis alienum, alienumq; esse sodali,
Sola suo merito tibi, sola atq; unica caussa
Debuit æternam fidei rescindere legem.
Jamq; minus, positis animis, irascimur, illâ
Excusante, tuumq; ultró exorante reatum.
Largimur culpæ veniam. Te junxeris illis,
Queis junxti Bucreti, & nos impuné relictos
Spreveris: inq; bonum, meruisti quæ mala, vertant.
Sis Veneris, sis Aemiliæ, sis usq; tuarum.
Res habeant sibi nostra suas dehinc numina Musæ,
Resq; meas habeam ipse mihi: sim deinde, quod ævi
Sim meus, & Musarum, & te mittamus utriq;. (est,
Vos estote meæ saltem, mea numina Musæ:
Vester ero, vestroq; uno solabor amore
Discidium hoc, & frustrati divortia amoris.

Vos pariter si lamen in isto quærite vobis
Devoto vobis capite, æternumq; fideli.
Me me, adsum, qui constanti pietatis honore
Vos venerer, vos quem constante favore colatis.
Me me, adsum, duplicatū in me convertite amorē,
BucretI mihi lucratum transfundite amorem:
Inq; uno censete duos, unumq; duobus
Æquatum reparate & damna rependite vestra.
En ego, qui vestro auxilio mea debita vobis
Munera, BucretIq; feram, geminoq; labore
Has obiens, illasq; vices, deperdita reddam.
Vos date sim, qui debebat Bucretius olim:
Et date sim, qui, si quis & ipse ego, debeo quondam.
At jam tu nobis extremo vocis honore
Bucreti fugitive vale, & tua gaudia carpe,
Gaudia perpetuum ô utinam mansura per ævum!
Qui fluxæ textam myrti de fronde corollam
Immortali ausus lauri præferre virori es.
Sed vivas, vigeasq; & tecum floreat ille
Flos ævi melioris, amœnaq; gratia cætus
Virginei, nunc jam nuptis nova fama, maritæ
Exemplum fidei, atq; sui stella aurea sexus,
ÆMILIA, ingestam quam toto corde recepsti.
LANGIAS ÆMILIA, in penitâ quæ mente vicissim
Te fovet, atq; imis ardens in mutuâ fibris
A fervore tuo requiem capit, & tibi contrâ

Fert

Fert requiem complexa suo. Jam jungite juncti
Complexus pariles, nexuq; ambite tenaci
Corpora corporibus, quibus arcto tramite mista
Commeet una anima, & vitæ sincera beatæ
Gaudia continuet vel sero intermina fini.
Interea tamen & ne tota oblivia nostri
Hauseris atq; aliquam prisco sub pectore sedem
In medio Venerum nobis dignare tuarum.
Noster amor, nostriq; ipsis in amoribus illis,
Interdum subeat tibi, sopitusq; reglis cat.
Nos meminisse tui vel sic tamen usq; juvabit,
Et veterem, quidquid nunc est, recolemus amorem
Mēte sub integrâ: nec culpa tua, improba culpa,
Improba culpa, tamen veniam merita improba cul-
Atteret imminuens vivi fomenta caloris, (pa.
Quæ remanent: neq; primævum longinquior ætas
Carpet edax, serie annos â populante dierum
Aut penitus nobis ignem unquam abolebit, adultū
Æeternâ semel á Vestâ, purisq; micantem
Pallados arcanæ flammis, & virgine curâ
Servatum assiduó Fidei custodis, in ipso
Interiore foco & penetrali pectoris arâ.

ROSÆ.

Ad Cornelium Martinum.

Qvi teneræ tenero tener ævi in vere juventæ
Flosculus, ambrosio totus odore fragras:
Qvi pubis reliqvæ flos illibatus, amæno
Corporis & Genii dulce virore nites:
Qvi flos es Veneris, qvi flos Svadæ atq; Lepóris,
Qvi flos Mercurii, Pallados & Charitum es:
Qvi jugo inaccesso Pindi, qvi Heliconis in antro
Flos cluis & Phœbi, & flos cluis Aonidum:
Qvi flos Varniadumq; unus, Roseiq; Roseti
Una Rosa, innumeris tempora nupta rosis
Perpetim habes; frontemq; perennibus endopetitus
Sertarum eximié mactus ovas strophiis:
Qviqve meos unus pridem unicus inter amicos
Flos florentis amas esse sodalitii:
Corneli, nostros potius cui dedico flores?
Cui magis hasce sacras convenit esse Rosas,
Qvàm tibi? cúm Natura lubens tibi & ipsa, potìssit
Si dare eo plus, jam qvod dedit anté, duit?
Accipe flos florum flores florum: atq; perennis
Flos vireasq; hominum, flos vigeasq; Deûm.

Rosæ.

Sic mi ergo usq; inamœna habitādū obscura Vacunæ
Antra, nec unqvám erit his ferre pedē ex adytis?

Sic

Sic mi ergo usq; inclatrato insultabit, & aspro
Usq; veternosum Murcia dura caput
Calce premet: sacris ut inertibus altùm operatus
Desidiæ ætatem mysta alacer cluëam?
Sicqve mea illa simul, non olim indocta sonare
Svave melos, tersæ & vel sapidum auriculæ:
Perpetim, inornato heic suffixa in pariete, telis
Nervia viresce sordida araneæ erit?
Ah ne ita, ne Musæ cupiant, nec sirit Apollo
Nec velit hoc triplicis Gratiæ amabilitas!
Qvin animi mens evigila, & torpore soluto
Parnassi aude iterum currere ad alta juga.
Surge anima, & tibi vindicias tandem ipsa parato:
Plus satis hoc tulimus servitii arduum onus.
Plus nimio, nimiumq; diu jam (heu fata!) litatũ est
Desidiæ: Ignavo sperne te, age, á populo.
Corq; poëtificis rursum ignibus effer, Eqvini &
Arida labri avido labra riga haustu ab aqvâ.
Linqve umbras caveæ tenebrosæ, & amœna agri
Vere in amœniparo jam viridaria adi. (amœni
En ut se cœli diffundit amicior aura,
Vivificoq; æther cuncta tepore animat.
En ut verniculans variorum hinc germine florum
Inde se odorato dædala inaurat humus. (atq;
En ut se silvarum amplis capita alta coronant
Frondibus: en densæ ut fulgido honore comæ

Luxuriant

Luxuriant nemora, usq; hilari quæ dulcé susurro
Adstrepitant blandi flaminibus Zephyri.
En ut Dauliades, meditatæ omni anté hyeme, odas
Vere novo expromunt svavisono ore novas.
Odas! quæ mirâ dulcedine ut arbori aqvæq;
Saxisq; efficiunt cum auribus esse animam:
Sic animam exanimẽ in numeros animare potis sunt
Et menti resîdi infundere dia mele.
Quidni ergo in nobis etiam illum exsuscitet æstum,
Illud epos Philomelæ, illud amabile epos?
Suscitat. Et quis ió me jam rapit ardor? ió quis
Me impetus ad nubes celsaq; ad astra levat? (gat?
Quis me aliâ entheâ agit? qvod mi æstrũ corda fati-
Qvó feror? an seco terræ, ætheris an spatia?
Qvis nares modó mi afflat odos jã svaviter halans?
Qvæ mihi perstringit lux oculorum aciem?
Dius odos! lux dia! Sed ô qvæ numina cerno,
Qvas Divûm choreas? qvem capio aure sonum?
O qvẽ nũc teneo locũ? ubi sum? hinc Chloridos horti?
Chloridos anne horti hi? virginum an Hesperi-
Ipsius an potius Cytherea hæc illa Roseta (dum?
Rosida, qvæ ambrosio rore & odore fragrant?
Certé hic ambrosius roseusq; odor: hæcqve ea certé
Cypridos, hæc Paphiæ augusta Roseta Deæ.
Certé hic fons, & Acidalii unda hæc lucida fontis,
Campi & Acidalii hi matris Acidaliæ.

Certé

Certé ita. jamq; rosarum ordo rutilantium & aura
Mi propius nares, mi prepiusq; oculos
Halitu odorato ferit aureoloq; colore;
Omne novaq; implet cor mihi lætitiâ.
Certé ita. jamq; Deæ capiuntur lumine claro
Contingi atq; ipsâ pæne manu est tagere
Numina, cœlestesq; choros: jam audire probé omnẽ
Fas vocis cantum, fas citharæq; modos.
Ecce Venus rutilo resplendens frontis honore,
Cinctaq; fulgidulis hinc comam & inde rosis,
Altiꝰ ut medio ingreditur modó in agmine! ut effert
Se Dea! ut exsultat læta per herbidam humum!
Ad Veneris latus, en Veneris pulcerrimus Infans,
Investis, nitido serta gerens capite,
Cum reliqvûm incedit numeroso examine Amorũ,
Cumq; Lepórum omni deliciante choro.
Poné sed en Herã adest Charitũ illa illa aurea triga,
Illa illa Idalii secta pedissequii.
Juxtaq; en tenera Horarum glomerat manus, atq; en
Conjuga floripari Flora nitens Zephyri.
En qvoq; Naïadum grex, en hilaresq; Napææ,
Mollium & en cœtus mollis Hamadryadum.
En qvoq; se Bacchus septis genialibus infert
Cum Satyris, Panos cumq; satellitio.
En etiam comites fundunt se, hortosq; freqventant
Cum suo honoratæ Præstite Castalides.

Omnium

Omnium & en sibi quisq; Deorum & quæq; Dearum
De horti opibus, subitis demetit unguiculis
Puniceasq; albasq; rosis: frenatq; superbæ
Luxuriem serto versicolore comæ.
Et jam en, vocis ad accentus & barbiti eburnæ,
Exercent lætos pectore ovante choros.
En ut prosubigunt picta horti gramina plantâ
Instabili, en trepidis nant ut humum pedibus.
Spectaclum ô lepidum, spectaclum ô aureum! & au-
Spectacli ante aurum deliciæ aureolæ! (rei
Scilicet hæc Veneris rosæ, Cypriiq; Roseti,
Hæc Cyprii floris, more sacro Cypriæ,
Annua festa horto in Cyprio, á Cyprio grege, & á
Qvos Cypriæ aut floris tãgit honos Cyprii; (Diis,
Solemni ritu ac pompæ solemnis aguntur
Cum strepitu, & multo cum sale, cumq; joco.
Scilicet hæc ea festa: hoc spectaclum illud: & illæ hæ
Spectacli lepidi deliciæ lepidæ.
Felices nimium flores! nimium ô felices!
Qvêis datus á Superûm numine tantus honos.
Felices nimiumq; Rosæ! ô nimiumq; beatæ!
O florum reliqvo præ reliqvûm genere
Sorte nimis pulcrâ decoratæ insigniter! ô qvæ
Conferri vobis herbâve stirpsve qveat?
Vos florum omnigenûm, vos plantarum omnigena-
Reginæ, hortorum vos decus atq; oculus: (rum
Vos

Vos terræ ſidus, vos unica & una voluptas,
Vos unumq́ hominum delicium atq́ Deûm.
O ego ſi veſtros verſu qveam amabili honores
Æqvare, & dignis digna ſonare tonis! (unda
Qvám mihi non cupiam, gemmarum omnis Tyrii
Qvod freti habet, qvod fulvo auri habet amne
O ego ſi veſtro tantum juvenilia flore (Tagus.
Innexa aſſiduó tempora habere qveám !
Qvám reliqvas ſpernam illecebras, qvám vile mihi
Luxus; qvã mihi nil, qvod volup eſt aliis. (omnis
O ego ſi veſtro ſatiari totus odore
Poſſim, ſi veſtrâ perfrui & usq́ animâ !
Qvám exoptem in naſum unum omni me corpore
Solus uti ſenſus ſit mihi ſolus odor. (abire,
Ecqvid enim veſtro usqvám alibi ſpiramine ſpiret
Svavius ? ullum alid huic par ubi delicium ?
Non ſe Arabum copes ſucci, non germina vobis
Indica, Panchæi haut ruris opima ſeges :
Non ſeſe Aſſyriæ componant ungvina, non ſi
Qvidqvam alio Natura orbe genit melius.
O ego ſi veſtros poſſim usq́ videre decores; (oculos !
Qvám omnia mi Argi acres membra velim eſſe
Dum modó conifero caput hæc adoperta galero; hinc
Rupta apicem, extremo vix hiat é calyce :
Mox foliorum arctos laté diducere amictus
Incipit, & rutilis ſe numerare comis.

Altera

Altera candidulo frontem exornata decore,
Emicat argentéis, plena pudore, genis.
Altera nativo se pingens murice, spargit
Ardentem aureolo purpuram ab ungviculo.
Illaq; & illa intus crocinis sic incluta filis
Fulget, Phœbeos provocet ut radios.
Certé eqvidem seu vos generi Japeti ipsa Dione
Olim basiolis extulit é propriis,
Dum Dea commendat felicibus oscula glebis,
Oscula flammeolis vivida spiritibus :
Seu vos, Diis ipsis nova gaudia, pro Ganymede
Dum ad cyathos præstó est forté Cupido Jovis,
Nectaris effusi temeré arva in Chloridos &, quâ
Nata Venus, spumæ nobiliore satu
Edidit : unde seges tám deliciosa repenté
Cœlestes dulci messe beavit heros :
Seu qvicunq; Deûm qvocunq; é semine (nam non,
Non á mortali ducitis ortum opere)
Primitus æthereæ eduxit vos lucis in oras,
Tale deditq; orbis totius esse decus :
Certé eqvidem Cypria ipsa suo vos vulnere pinxit,
Ipsa suo tinxit sangvine vos Cypria :
Ipsa Venus, certé ipsa : ubi carum ante omnia Ado-
Lethifero fixum dente ferocis apri, (nin
Neqvidqvam, heu, neqvidqvã infelici incita cursu,
Semianimem ab Stygiâ tendit aqvâ asserere.

Fa

Fas mihi, fas Veneris veterem renovare dolorem
Hâc geniali adeó in lætitiâ Veneris.
Ede lyra, Assyrii ut pueri acri intabuit igne
Cypris: qvem Cyprus magna patre é Cinyra,
Myrrhâ matre tulit, ab avo natum atq; sorore,
Præstantem formæ dotibus egregiis:
Cui membris decus adflarat natura superbum,
Et dederat cætus virginei esse facem.
Huic Venus unanimo insanúm succensa furore
Dicitur insolito deperiisse modo.
Hunc Dea vel Marti antetulit: præ hoc alta Cithera,
Præ hoc sordere Gnidus, cumq; Amathūte Paphos.
Hoc præ uno stellati etiam picta atria cæli,
Hoc præ uno vilere intima & aula Jovis.
Illi, sive oriente die Sol tolleret igneum,
Seu moriente, caput mergeret Oceano;
Illi perpetuum comes ibat; & assiduó uná,
Accubuoq; uná degere dulce fuit.
Qvin neq;, cum in saltus abiens inculta ferarum
Per lustra hic rapidis prædam ageret canibus,
Ipsius ungvem abiit minimum qvóqvam á latere:
Saxa per & silvas perq; juga inseqvitur, (usq; at
Venatrix: nec ferre pudet qvoq; retia Divam,
Cælestesq; atrâ tingvere cæde manus.
Ah pereat pereat, qvi primus retia, primus
Invisá invisas texuit arte plagas!

O *Inde*

Inde heu orta infausta infausti semina belli,
Inde heu mortiferi orta exitii atra seges.
Inde heu heu miseræ miser, eheu, Cypridi Adonis
Perditus: inde eheu exanimem exanimis
Monte infelici Cytherea adspexit Adonin
Fundere purpuream cum amne cruento animam.
Illum immanis aper; solitis dum in montibus errat
Venatu & solitis tempora dans studiis:
Correptum ante plagas lethalis acumine dentis
Icit, & ictum albo sauciat in femore.
Cui ut subitam festinat opem Venus alite cursu,
Perq; inculta amens præcipitat juga iter:
Ecce ruentis iniquo infestat candida morsu
Crura, sacrosq; acris spina pedes violat.
Spina acris: quam supra hamatis sentibus hærens
Vernabat niveo multa colore rosa.
At Diva ut tenerum manare é vulnere sanguen,
Stillare & dios crura videt latices.
Largifluiq; rubos adspersu undante cruoris
Tingvier; omni corde imitus ingemuit.
Cum gemituq; rubis simitu indignata malignis,
Pluria dixit in hos verba repenté mala.
Mox tamen, hæc, lacrimans ait, hæc mi grata doloris
Signa mei, & testes perpetim amoris erunt.
Perpetim erunt. quæq; anté adeó candore placebãt,
Ornatu insignes unicolore rosæ.

Desierat.

Desierat. vitreasq; abstergens lumine guttas,
Ilicet hinc properans carum ad Adonin abit.
Illa abit. at sparsi Cythereæ sangvine dumi
Hinc citó sangvineis svave rubent foliis.
Qvaliter ingenuæ cúm mutant ora puellæ,
Occupat albentes purpura pura genas.
Qvaliter aut, Tyrio si qvisqvam inverterit ostro
Indum ebur, id jussam se induit in faciem.
Aut strictura velut chalybe in candente ardescit,
Aut matutino ut Leucothee ore rubet.
Inde, Rosæ, heic illhic ampli omnia per spacia orbis
Effertis gemino floris honore caput.
Inde, Rosæ, divûm omnium amor, tutelaq; divûm;
Sed Veneris tutela unica præcipué.
Unica præcipué Veneris cura, una voluptas,
Præcipuo qvæ vos una colit studio.
Qvæ vos tergemina Eurynomes cum prole fluenta
Alma perenniflui nutrit Acidalii. (ad
Qvæ vos felici celebrat solemniter horto,
Festaq; sic vestro nomine gaudia agit.
Ipsa & vos septis vestri studiosa maritis
Deliciosa horti ante omnia, Chloris alit.
Ipse & vos Bacchus colit unicé; & ipse adeó omnia
Primúm olim vestris primula de foliis
Vina bibit, flagranti actus fragrantiâ odoris
Nectareoq; sapore ocyus in furias.

 Idem

Idem dapsilibus vos intertexere sertis
Princeps, & comptis ponere temporibus
Edocuit; seu qvando homines convivia mensis
Læta agitent, agiles seu celebrent choreas.
Qvin idem læsorum ad pulvinaria postas
Cælitum, Olympicolis vos dare munera heris,
Terrigenisq; offensi avertere numinis iras,
Et pacem instituit conciliare novam.
Qvid memorem? ut Phœboq; Novensilibusq; Deabus
Carmine pro docto serta, operæ precium,
Ipsi etiam Vates de vestris plectere sverint
Floribus, Aonii ferreq; ad antra jugi?
Cetera qvid memorem? qvæ perpes adorea famæ
Præpete fert celsa ad nubila remigio?
Hoc sed qvêi sileam? ut generi mortalium acutos
De affecto morbos corpore vi medicâ
Sæpé repellatis, certaq; ope desubitó almam
Præsentes sitis reddere temperiem?
Hoc sed qvêi sileam? ut post fata qvoq; ultima nobis
Ad miseri atratas funeris exseqvias
Justa sepulcrali faciatis munere, & ipsis
Functorum ornetis perpetuó tumulos?
Vos ego, si forsit nostro ulla in gratia versu,
Pro meritis versu rité canam usq; meo.
Vos ego, vos æterno ego devenerabor honore,
Vos indefesso pectore & ore colam.

Vos

Vos ego mi malacæ usq; in texta viebo corollæ,
Vos mihi inumbratâ fronte geram inclutũ onus.
Vos ego decerptas manibus sine fine fovebo,
Vos avidis semper naribus olfaciam.
Vos oblectamen cerebro, vos nobile menti
Protelum in melicis usq; eritis modulis.
Nempe peregrinis alii oblectamina terris
Quærere eant, patrio é qvos juvat orbe nihil.
Vos dum habeam, næ mì jaceat despecta vel ipsa
India cum Assyriâ, Media cum Arabiâ.
Usq; adeó nulli præ vobis sit precium ullum,
Nullum adeó externis stet decus illecebris.
Sed qvid? Num heic etiam haut parte omni firma voluptas?
Num heic etiam qvod nos cordolio angat, adest,
Scilicet unum istud nimium meritó qveri habemus,
Flori adeó eximio esse ævum adeó exiguum!
Natura, alma parens rerum, sicne unicus ille
Terræ oculus, terræ tam brevis est oculus?
Siccine flos florum tantillo tempore florens,
Vix vix cum incipit esse, incipit esse nihil?
Há, Natura! En vix primo qvi se exerit ortu
Mane novo, ut sero vespere demoritur!
Aut, qvando stellarum & cæli infamia sic jam
Arva per immodico Seirius igne rabit:
En qvem nascentem rutilo Eos spexerat ore,
Ut denascentem Sol medio axe videt!

Há, sicne ostentas simul & rapis! ha, qvid id, illũ ut
Adferat una dies, auferat una dies?
Debueras meritó dare ei diuturnius ævum,
Digno, qvem haut ætas ulla senecta gravet:
Digno, qui nobis annum florere perennem,
Et nunqvam-fluxis stare queat foliis.
Nunc eheu terra ipsa brevem conqvesta virorem,
Luget, inornatos ferre negatq́ rubos!
Nunc eheu pueri mecum pueræq́ qviritant,
Condita tam blandis tam spatia arcta rosis!
At vos ô pueri mecum, & vos virgineus grex,
Mittite Naturæ non bona verba loqvi.
Dumq́ licet, legite ungve rosas, stipate qvasillos,
Flore gravate sinus, flore gravate comas.
Dumq́ licet vestri fructus decerpite veris,
A tergo ætatis ningvida jam instat hyems.
Verculum enim hoc ut abit, redit & pede bruma
Sic ævi humani curriculũ omne volat. (volucri:
Et veluti rosei citó flaccet gratia floris,
Hirtaq́ collapsis spina manet foliis:
Gratia sic formæ subitó, sic vivida Virtus
Corporis exsuccis defluit articulis.
Deniq́ Morta feris vitam sicelicibus ipsam
Eripit, ut florem torrida flamma necat.
Qvi sapit, expendens mortalis nomina secli,
Seq́ Rosam, & sibi Ver noverit esse fugax.

VAL.

VAL. ACIDALI
ELEGIARUM
LIB. I.

CUNÆ NATALITIÆ CHRISTI SALVATORIS.

I.

QUis puer hic? quæ cunæ? & circum turba virorum?
Quæ pecudes? quæ vox læta per astra sonat?
Ten' video, divine puer, dulcissime Jesu,
Edite cœlesti de Genitore DEus?
Ten' video, cunasq; tuas? Túne optime Christe,
Edite mortali de genitrice puer?
Túne ades? Eja venis, ades eja, ô nobilis hospes!
Eja ades ô hospes nobilis, eja venis!
Ecce jaces laceris puer optatissime cunis,
Ponis & in duro membra tenella toro.
En te casta sinu infusum matercula casto
Molliter amplexu brachiolisq; fovet.
En fovet ipse senex Josephus, & aspera brumæ
Frigora sollicitus, quâ licet arte, fugat.
En tibi pastores ovium, quibus æthere summo
Nuntia natalis vox data læta tui,
Adstant, & tenerâ ludentes carmen avenâ
Lætisonis solvunt ora canora modis.
En brutæ pecudes nutuq; & poplite flexo
Alludunt pedibus, sancte puelle, tuis.

 Aspirantq;

Aspirantq́ pio præsepibus ore vaporem,
Ne lædant tenerum tristia flabra latus.
En etiam angelici pars ad cunabula cœtus
Funditur, officiis officiosa suis:
Pars choreis plausuq́ & cantibus aëra purum
Rumpit, & insolito gaudet, ovatq́ modo.
Et nos ergo tibi puer, ô puer, unica mundi
Lætitia, humanæ gentis & una salus;
Et nos pauca decet solenni carmina versu
Jam canere, & cunas concelebrare tuas.
Fas agitare piis animis pia gaudia, fas nunc
Ritè tibi grates solvere mente piâ.
Fas tua supplicibus sterni ad præsepia votis,
Fas libare tuis oscula sancta genis.
Ecce ego supplicibus veneror præsepia votis,
Ecce ego libo tuis oscula sancta genis.
Sed qvo te ore canam? tua qvâ cunabula voce,
Qvo versu, seu qvo laudis honore feram?
Adspicio rigidum stabuli miserabilis antrum,
Tectaq́ nutantis jam ruitura casæ.
Adspicio sqvalorem atri tenebrasq́ bovilis,
Expositi ventis, expositiq́ nivi.
O miseram rerum faciem! Téne edite cælo
Rex cæli, obscuro sic recubare specu?
Cunæ, infelices cunæ! Nónne atria Regum
Splendida, & augustæ vos decuére domus?

Atria

Atria sed vobis, antra hæc, atræq; latebræ;
Hoc tuguri culmen pauperis, ecce domus.
Hócne tibi, hoc stabulum, puer alme, cubilia præbet,
Qvi Deus es terræ, qvi Dominusq; maris?
Cunæ, infelices Cunæ! vos fundier auro,
Vos Parium marmor, vos ebur esse decet.
At vile en lignum, en rigidâ rudis arbore truncus,
En præsepe estis, phatna misella boum.
Cunæ, infelices cunæ! vos fulcra decebant
Mollia, & Attalici pluma superba tori:
Ecce sed ingrato cum cespite stramen habetis,
Et carex Pueri pungit acuta latus.
Cunæ, infelices cunæ! vos pulcra decebat
Stragula, vos roseo tegmina picta croco:
Vos variata Phrygum nitido velamina textu,
Vos Serum artifici vela operata manu:
Vos Sindon Tyria atq; ostrum, gemmæq; coruscæ,
Dives ab Eoâ qvas legit Indus aqvâ.
At sparsi heu fragiles calami, sparsa ulva palustris,
Aridaq; exsucci graminis herba jacet.
Cunæ, infelices cunæ! vos florea messis
Debuit ornatu condecorare suo.
Vos molles violæ, vos purpurei Narcissi,
Cumq; Amaranthæis laurea serta comis.
Vos casiæ aureolæ, vos lilia, vos Hyacinthi,
Vos decuit Nardus; vos decuêre Rosæ.

Ast horum nihil est: sed adest ignobile fœnum:
Fœnum est; sed fœni vix etiam sat adest.
Cunæ, infelices cunæ! vos nimbus odorum
Debuit hinc læto spargere & inde loco:
Vos favus ambrosius dulci perfundere succo,
Vos niveo Assyrius tingere rore liqvor:
Vos simul infantemq́, aurâ mulcere salubri
Halitus eq́, polo debuit, eq́, solo:
Heic virides lauros & olentes urere cedros,
Hunc ferre ad lectum fas erat omne nemus.
Ast horum nihil est: lepidum nihil inter asellos,
Inter & immundos nil geniale boves.
Cunæ, infelices cunæ! pulcra omnia vobis,
Vobis delicias, divitiasq́, suas,
Thuriferis debet Panchaia pingvis arenis,
Debet & auriflui lympha beata Tagi:
Vobis qvidqvid habet segetum felicibus arvis
Medus, & intactâ merce opulentus Arabs:
Vobis qvidqvid humus gremio fovet omnis in imo;
Et mare, debetur, qvidqvid & unda tenet.
Ast horum nihil est: nihil est nisi tristis egestas:
Tristis; & omnigeni pondere pressa mali.
Vilia vix dantur magalia: vix datur arctâ
Matri cum puero delituisse casâ.
Vix datur imbelli prohibere á corpore frigus,
Vix vitare Eurum, vixq́, cavere nivem.

Vos

Vos tamen absq; illis Cunæ ô bis terq; beatæ :
Sat tamen ô vobis fata benigna favent :
Dum puerum amplexu vestro teneatis Iesum,
Nobilius qvo nil, prosperiusq; nihil.
Non vos dura gravant fortunæ incommoda : vobis
Nobilius nihil est, prosperiusq; nihil.
Cunæ, ô felices cunæ! qvem maximus orbis,
Qvem mare, qvẽ superæ non capit aula domus :
Vos capitis Regem & dominũ, qvem maximus orbis,
Qvem mare, sidereæ qvem tremit aula domus.
Cunæ, ô felices cunæ ! vos pauperis antri
Sede, & stramineo conditis, ecce, toro,
Qvem non tot populi, non excepére tot urbes,
Non tot magnificis atria structa locis.
Cunæ, ô felices cunæ ! vos parvulus ille
Hospitium voluit dulce parare sibi.
Vos vos præ reliqvis tanto dignatus honore est,
Et clarum toto nomen in orbe dedit.
Cunæ, ô felices cunæ ! vos unicus ille
Thesaurus mundi terrigenûmq; premit.
Ille puer, puer ille, in qvo qvæ perdita qvondam
Primævi lapsum per genitoris erant :
Ille puer, puer ille, in qvo jam reddita nobis
Omnia, & auxilio sunt reparata novo.
Cunæ, ô felices cunæ ! qveîs corpore parvo
Maximus ille heros, optimus ille, jacet.

Ille heros, misero venit ille salutifer orbi,
Indebibatâ Virgine natus homo.
Ille en mortales Deus immortalis in auras
Prodit & humani corporis ossa gerit.
Cunæ, ô felices cunæ! quêis unica nostri
Spes generis, reqvies una, salusq́ cubat.
Ille opifer nos æternâ de morte redemit,
Et vetuit Stygiæ regna subire plagæ.
Ille opifer nobis æternæ munera vitæ
Reddidit, & cœli jussit adire domum.
Cunæ, ô felices cunæ! qvæ gaudia tanta,
Inq́ ærumnosam tot bona fertis humum.
Cunæ, ô felices cunæ, nimiumq́ beatæ!
Cunæ ô, qvêis cælo gratia tanta venit!
O cunæ, qvêis nec totus certaverit orbis!
Cuncta nec astriferi sidera clara poli.
O utinam vestri mihi pars extrema decóris!
O utinam vestri portio parva boni!
Tuq́ ô Christe meo jam nunc illabere cordi!
O puer alme veni, Jesule sancte veni!
En heic, blande puer, cunæ: en præsepia nostri
Pectoris: en animi scrinia aperta mei.
En hæc templa subi, nec dedignare vocantem:
Heic habita, heic firmam tu tibi pone domum.
Me conjunge tibi, mihi te conjunge per ævum,
Ut meus æternúm sis, maneamq́ tuus.

Sic

Sic ego te, cunasq; tuas celebrare studebo,
Dum terram, é terrâ raptus & astra colam.

NOX JESU CHRISTO SERVATORI NATALIS.

II.

EN iterum medio glacialis frigore Brumæ,
Christe puer tenerâ Virgine natus ades.
En iterum tua festa novo celebranda sub anno
Ducis, & ad cunas quemq; venire jubes.
Adsum sancte puer, cupidisq; amplexibus ultró
Brachia in adventum tendo parata tuum.
Ad tua prostratus genibus cunabula flexis
Grata tibi grato pectore dona fero.
Carmine solenni meritas dum pangere laudes
Nitor, & argutâ fundere voce melos.
En tibi pervigilem, Jesu dulcissime, Noctem,
Primula quæ cunis fulsit oborta tuis,
Pervigili meditor studio celebrare; canentem
Tu modó si dextro rité favore juves.
O ades, atq; juva placidus: tu suffice blandos
Vere pater Vatum, maxime Phœbe, sonos.
Tu vivis anima numeris mea carmina; tu da,
In certos veniant libera verba pedes.

Sic

Sic te digna canam dulci præconia versu,
Sic fluet ingenii limpida vena mei.

Ergo soporiferis Nox ô pulcerrima bigis,
Scande modò aurati templa serena Poli.
Funde age jucundas terris optantibus umbras,
Et renova tenebris gaudia læta tuis:
Gaudia, quæ quondam toti letissima mundo,
Prima dabas, summi nuntia prima boni;
Cúm puer é gravidâ matris foret editus alvo,
Unica spes hominum Christus, & una salus.
Diffugiant nigræ toto procul æthere nubes,
Purior & cunctis rideat aura locis.
Flabra premat Boreas, & durum sæva rigorem,
Cum nive, cum gelido frigore, ponat hyems.
Sidera, quæ variis distingvunt æthera gemmis,
Lumine jam solito splendidiore micent.
Qvalis erat cœli facies, ubi candida virgo
Tempora jam partus cerneret ire sui:
Virgo gerens plenum cœlesti numine ventrem;
Nescia mortalis virgo pudica viri.
Illa Dei sobolem nixu paritura beato
Ponere maturum dum meditatur onus:
Dum gelido vigilans laceri sub culminis antro
Exspectat cœli subvenientis opem.
Adq; Deum sanctas ardenti pectore palmas
Tendit, & augusto fundit ab ore preces.

Interea

Interea celeres properans absolvere cursus
Ingreditur mediam nox tenebrosa viam.
Undiq; jam dulcis, placido mortalia somno
Corpora mulcebat fessa labore, quies.
Quæsitamq; inter nemorum fruticeta soporem
Præbebant tacitis abdita lustra feris.
Jam genus alituum mutâ sub fronde quiescens,
Nulla repercussâ carmina voce dabat.
Alta per & silvas, rigidosq; silentia montes;
Nec strepitus campis, nec sonus ullus erat.
Spirabant tenues nullo cum murmure venti,
Mitior & vacuis aura silebat agris.
Quiq; ferox Pontus furioso tunditur Euro,
Leniter instratas ire videbat aqvas.
Qvin etiam magno subter labentia mundo
Volvuntur tacitis sidera cuncta viis.
Usq; adeó tranqvilla silent, Dominoq; ministrant
Singula; sic justo cuncta tremore pavent.
Miranturq; novi mysteria maxima partus,
Dum Deus humano corpore visit humum.
Virgo sed en utero media inter vota soluto
Salvificum mundo molliter edit onus.
Edit onus Virgo. nec jam mora: conscius æther
Signa dat, & summa protinus arce tonat.
Plaudit ió cælum, clangoribus insonat Orbis?
Omnis ió plausu terra sonante salit!

Exultant

Exultant vallésq́ cavæ, collesq́ supini,
Silvaq́ frondentes concutit alta comas.
Flumina conversos stupefacto gurgite cursus
Sistunt, & trepidans lenius unda fluit.
Plaudit avis pennâ, viridisq́ per avia silvæ
Insolitum suavi concinit ore melos.
Omnia lætantur: ridet liqvidissima mundi
Forma; nitent agri: prata serena micant.
Aurea lux totâ radiis fulgentibus æthrâ
Surgit, & ardentes spargit ubiq́ faces.
Hinc etiam festas meditatur pura choréas
Cynthia, nec maculis dat superesse locum.
Qvam circum tremulis ludunt radiantia flammis,
Et nitidos ducunt molliter astra choros.
Exultant Hyades rutilæ: sua plaustra Bootes
Aurea, & auratos conspicit ire boves.
Tum primùm Erigone miseri post fata parentis
Visa fuit gemitus deposuisse suos.
Ipse qvoq́ arridens, non jam crudelis, Orion
Mite cruentato liberat ense latus.
Parva loqvor. Forté & pastores montibus illis
Servabant clausos septa per arcta greges.
His niveus summo veniens adsistit Olympo
Angelus, & trepidis nuntia læta refert.
Ite viri: superâ vobis Servator ab arce
Natus in humanâ carne videndus adest.

Pergite

Pergite Davidicæ properé sub mœnia Bethles,
Et date jam Regi munera vestra novo.
Dixerat. hi properant: fugit ille ad culmina cœli,
Ambrosioq; omnem spargit odore locum.
Continuó magnum visi per inane volatus,
Et simul angelici densa caterva chori.
Fit plausus, reboat lætis discursibus aër:
Ictaq; jucundis perstrepit aura sonis.
Dulcia cœlestes pangunt præconia cœtus,
Et pia sublimi carmina voce canunt.
Unus erat cantus: Sit gloria summa Tonanti,
Pace novâ tellus, pace triumphet homo.
Responsant nemora & montes, campiq; jacentes
Unanimi plaudunt per loca cuncta sono.
Hæc inter studia & magni solemnia mundi
Gaudia, nox cursus finit abacta suos.
Nox, qvâ nec superis, nec qvâ mortalibus unqvam
Lætior; aut mundo gratior ulla fuit.
Nox longé ante alias fortunatissima noctes;
Nobilis ante homines, nobilis ante Deum.
Hæc nox illa fuit, multos qvæ festa per annos
Semper erat puris concelebranda sacris.
Hæc nox Isacidum generi seroq; nepoti
Una per assiduas usq; petita preces.
Hæc desiderio patrum exoptata piorum,
Hæc spes sollicitis vatibus una fuit.

Hæc illa est primis promissa parentibus, orbem,
Vix ubi condiderat dextera magna Dei.
Scilicet ex castâ qvâ Virgine surgeret Heros,
Et Deus & vero corpore verus Homo.
Qvi labem proprio mersurus sangvine nostram,
Irato caderet victima justa Patri.
A qvo Mors, Satanas, peccataq; victa jacerent;
Nobis certa salus, & nova vita foret.
Natus ió nunc ille ! & ió Nox illa salutis
Largitrix fausto vénit amica gradu.
Inclyta nox salve, nox optatissima salve:
O nox ante omnes nobilitata dies.
Se lux nulla tibi, non magni sidera cœli,
Non radiis Titan conferat ipse suis.
Tu siqvidem veri fons luminis, undiq; densis
Qvo sine nos tenebris nox inamœna premit.
Tu mundi Solem generas, radiisq; serenis
Perpetuæ monstras dulce salutis iter.
Tu lux una viæ, sine te qvam cernere nemo,
Et pede sollicito carpere nemo potest.
O nox lætitiæ genitrix, pacisq; beatæ
Dives; & æternis nox opulenta bonis;
Tu miros adeó partus, tu primula sentis
Vagitus, tenero qvos dedit ore puer.
Tu mundi plausum citius pastoribus ipsis
Adspicis, & læti jubila festa poli.

Tu

Tu matrem, tu sollicitis certantia curis
Matris in ardenti gaudia corde vides.
Tu miseras miserata vices, tam paupere formâ
Dum jacet adspectu vilis inopsq; puer;
Optasti rutilum præsæpia vertere in aurum,
Adq; latus picti ponere strata tori.
Pro stipula ut molli positus requiesceret ostro,
Debitus et regni nullus abesset honor.
Salve iterum nox cara Deo, nox prospera mundo,
Nox omni potior nobiliorq; die.
Salve, & curriculo nobis revoluta secundo
Sæpé redi versu concelebranda novo.

Magnificis Viris

JOANNI MATTHÆO WACKERO

NICOLAO RHEDIGERO

JACOBO MONAVIO.

III.

IAnus adest, Strenasq; suis properare Kalendis
Admonet antiquâ relligione novas.
Jamq; calent studia, & quæ suevit amicus amico,
Patrono tenuis munera grata cliens,
Quisque ferunt: hincq; officiis solennibus atq; hinc
Certat in alternas æmula turba vices.
Et mea cessat adhuc strenis instrenua, prisci
Moris & officii oblita sui pietas?

Evigila & tardum, mea Musa, expelle soporem.
Auspicio lucis sub meliore sacræ.
Excitat annorum dux JANUS, & huic comes hærens
STRENA: te nymphæ, te sociam adde Deo.
Dumq; suis alii studia & votiva freqventant
Munera, ne desis sola caveto tuis.
I, carosq; meos mihi patronosq; saluta,
Qvo potes & dono sedula qvemq; cole.
Stasné etiam? & laceris brumale iter horrida pannis,
An tot, egens ultró, munera danda times?
Nam sané & grave frigus, & est annona gravis nunc
Strenarum: nudo præcipué & vacuo.
At tu ne trepida: ad paucos te mitto, nec illos,
Non nisi qvos longâ sit tibi adire viâ,
Nec nisi cum cultâ tunicâ, donoq; superbo:
Sed mage qvi dono te tunicaq; beent:
Insuper & notos tibi noscentesq; vicissim,
Grata salutatrix & qvibus hospes eris.
Defungi poteris, saltem tu fungere, paucis:
Et sis officii fida ministra mei.
Tres colo præcipuos, tres præcipué usq; colendos
Hoc, licitumq; alio qvo mihi cumq; modo est.
Tres Silesiacæ stellas, tria numina terræ:
Unica qvæ nostri triga patrocinii.
Dum memoro, munibo viam tibi prævius, ipsos
Et simul affatu conciliabo meo.

Vos

Vos etenim, vos vos estis, ter amabile Divûm
Atq; hominum famâ triplice delicium:
Tergeminum ô sidus nostrum, mea gloria trina,
O mihi præsidium nobile, dulce decus!
Tu pars Augusti, WACKERE, & fama Senatus,
Aoniiq; idem famaq; parsq; chori:
Et tu magnificos titulos natalibus æquans,
Natales vincens, RHEDIGER, ingenio.
Et tu non impar doctrinâ & laude, MONAVI,
Nominis illustrans omnia luce tui.
Ad vos en modó difficilis sub sidere Brumæ,
Tempore solenni sed mea Musa venit:
Approperans primo reducis sub lumine Jani
Ad matutinas officiosa fores:
Et reliquâ in turbâ votivam prima salutem
Dicere felici gestit ab augurio.
Agnovisse juvet, juvet ultró admittere & ultró
E medio hanc alios ante vocare globo:
Atq; verecundam vultu firmare benigno,
Intrepido magis ut, quæ cupit, ore ferat.
Nam fert illa quidem, quod debet conscia, linguâ,
Non dextrâ: vacua stans inhonora manu.
Et commendando pulcræ pro munere strenæ
Solvit inornatis verba ligata modis.
Verba sed hæc quoq; pauca: ut paupertina supellex
Illam omni facit ex parte pudere sui.

Nam rerum ceu prorsus inops, sic est neq; dives
Carminis: & sterili oppressa labore gemit.
At pietate tamen vobis, licet omnia desint,
Se cupit, & nudo posse probare animo.
Utq; cupit, sperat: tanta est fiducia vestri:
Nititur & votis sic animosa suis.
Scilicet his ipsis, qvéis solúm haut paupera votis,
Imó vel ante omnes esse opulenta potest.
Qvêisq; adeó in vestri cultum ditissima, plenum
Cælo animum, cælo tollit utramq; manum.
Hæcq; offert donativæ jam nomine strenæ,
Et putat illius rité subire vicem.
Sic vovet illa autem, conceptis in breve verbis,
At spacium fusâ mentis in omne prece.
JANE Pater, seclorum ab origine ductor in orbem
Volvendis præses addite temporibus:
Te duce qvi veteri lapso novus inchoat annus,
Te duce fac felix inchoet annus iter.
Qvæq; renascentis lux ævi primula vitam
Auspice te fato sumit ab occiduo.
Sæpé renaturis fausto sub sidere seclis
Auspice te fatum pergat ad occiduum.
Et qvi nunc caput anni, & dux porró inde dierum
Sole recentato supprimit astra dies:
Prosper in auspicium liqvidum exoriatur, & omnes
Promittat similes præstet & usq; sui.

Fas

Fas hominum generi certam sperare salutem
A dextri jam nunc ominis augurio.
Præcipue sit fas hanc me spondere clientem
Patronis, qvibus hæc imputo vota, meis.
Vivant & valeant, cunctis sine fine fruentes,
Ipsi qvæ cupiunt, nec cupiuntq; bonis.
Sic pariter vivam, & cunctis fruitura valebo,
Ipsa ego qvæq; opto, qvæq; nec opto, bonis.
Hæc, WACKERE, tibi, tibi RHEDIGER, atq; MONA-
MUSA precor vestri-semper ACIDALII. (VI,
At mihi & hoc: novus antiqvos mi ut servet amicos,
Pristina nec vestri jura patrocinii
Dehinc in me mutet, renovet saltem, & veterem me
In nexum hic vobis artius annus agat.
Pluribus & porró semper volventibus annis
Vestra mei perstet cura, perennet amor.
Perstet cura, perennet amor: sed & augmine cres-
Si pote, si mereor, utraq; perpetuó. (cant,
Qvin si nec merear: qvamqvam fortasse merebor;
Atq; erit hæc studiis unica cura meis.
Qvæ magis atq; magis meritis obnoxia vestris,
Augebunt pariter se magis atq; magis,
Dumq; manet sensus vestro per fata clienti
Illius usq; in vos cultus honosq; manet.
Cumq; cadet sensus, tamen & post fata superstes
Illius haut per me grata cadet pietas.

A cinere atq; rogo vestri observantia vivet,
Scriptaq; in æternum vos venerata colent.
Vos illũ WACKERE, *&* RHEDIGER, *atq;* MONAVI
Quisq; suo, ut cepstis quisq;, faveto modó.
Et velut á nobis certatur honore colendi
Vestra in cunctorum singula promerita;
Sic vos inter vos certate favore juvandi
Una adeó in nostræ commoda semper opis.
Ut qui nondum etiam forsan dubitare potest nunc
Hactenus hoc cui plus debeat é numero:
(Namq;, reor, vestrûm sané & conceditis uni
Ipsi ultró: & primas cui ferat ille, scio:)
Dehinc moles benefactorum haut examine claro
Nescire in variis cogat & innumeris,
Maxima sint cuivis, cuivisvé secunda vel ima:
Nec cuiquam præ aliis deditus esse queat.
Erret & incerto gratæ discrimine mentis,
Prima cui cultus deferat officia.
Utq; adeó hinc, ne cui ex meriti virtute latentis
Judicio ignaro plus tribuátve minus:
Omnibus ex æquo putet esse obnoxius, omnes
Indispensato gratus honore colat.
Atq; ita sit totus cujusq; per omnia vester:
Parq; sit in cunctos gratia, par sit honos.

MAGNI.

MAGNIFICO OTTONI PRÆNIO.

IV.

Qvid mirum, Aonio Phœbus qvem nutriit antro,
Hunc si carminibus donet Apollo suis?
Qvid mirum, qvem Pieriæ coluêre sorores
A pucro, & gratâ nunc qvoq; mente colunt?
Qvid mirum, qvi Pierias coluitq; sorores
A puero, & gratâ nunc qvoq; mente colit:
Hunc si Pieriæ studeant decorare sorores,
Cultoriq; ferant munera larga suo?
Qvid mirum, cui nobilitas à sangvine claro
Clara per innumeros dinumeratur avos:
Qvid mirum, veræ qvi nobilitatis honorem,
Nobilitat culti laudibus ingenii:
Ingenii, qvod Diva Themis, qvod virgo Patrima,
Artibus & studiis expoliêre bonis:
Huic si nobilius certet nomenq;, decusq;,
Efficere, ingenio qvisqvis & arte valet?
Deniq; qvid mirum, Domino si dulcis alumnus,
Qveis qveat, officiis complacuisse velit?
Nil eqvidem mirum: neq; tu mirabere qvidqvam
Magne vir, & priscæ nobilitatis honos.
Dum mea te, qvamqvam tenui non splendida cultu
Musa, sed in laudes officiosa Dei,

Versiculis ornat paucis: quos scribere Christo
Me Pietas, tibi mens grata dicare jubet.
Tu studiis tranquilla meis das otia; tu das
Musarum blandâ posse quietê frui.
Ergo age, quâ pietas, & quâ mens grata meretur,
Accipe conatus fronte, probaq́ meos.
Sic placidè multos suavi cum conjuge in annos
Vive, nec á tristi sorte pericla time.
Unica sic soboles, decus & spes una parentum,
Vivat in exempli speмq́ decusq́ tui.

AD MICHAELEM WYN-COPIUM

V.

Care Oenone, meos inter non ultime amicos,
Pectore sincero quos mihi junxit amor;
Care Oenone, avido quid xenia corde requiris,
Munera quid tenuem poscis Acidalium?
Munera donari quem Saturnalibus olim
Consuerunt veterum tempore Romulidum:
Munera quæ Jani mos est donare Calendis,
Hoc magè felici tempore Christiadum:
Dum vetus ad finem ruit, & novus annus in orbem
Orbibus allapsus ducitur æthereis.
[illegible] ut fausti jam nuntia temporis edant
Dona per alternas missiculata vices:

Auspiciisq́

Auspiciisq; bonis luces, sine nube, futuræ
Molliter adveniant, molliter hinc abeant.
At mihi non auri lamnæ, haut argentea gaza,
Non pellucidulûm divitiæ lapidum.
Non aliud qvidqvã est, strenæ qvod nomine digno
Expensum, ut fas est, nunc tibi ferre qveam.
Desine sollicitis igitur munuscula verbis
Poscere; non dare qvis, qvo caret ipse, potest.
Aut numeros istos grati cape muneris instar,
Hocq; tibi dare sit xenia nulla dare.

Ad Symbolum
JACOBI MONAVII
IPSE FACIET.
VI.

Dum miseri heic rapido pelagi jactamur in æstu,
Qvem sors nimbificâ pennâ agitata ciet:
Quæ via, qvis recti dux cæco in turbine cursus,
Ut fugiat tristes tuta ratis scopulos?
Tu lucẽ ecce aperis, Pharos olim ut celsa, MONAVI,
Fudit multifidas igneo ab ore faces.
IPSE, tibi scitum est, FACIET: nitidißima cujus
Depicta auratis verbula bina notis.
In puppisq; tuæ summâ fixa arbore, fulgent
Æqvoreo laté, ut sidera bina, salo.

Sidera

Sidera bina, cadit queis nox superata, patescunt,
Perq; vada incertæ per scopulosq; viæ.
Hæ geminæ Oebalidum stellæ, hæ Cynosura Heliceq;
Hinc nautis dubiâ certa salute salus.
His ducibus Scyllâ evitatâ, omniq; Charybdi
In portum ex alto cymba feretur ovans.
Felices nautas, qui te â tergo usq; seqventes
Fixa tuis sua habent lumina sideribus:
Et scitum ô prælustre tuum, qvod ab orbe vehit nos
Ad cœli ipsa suis sidera sideribus:
Te veró, lucem hanc qvi orbi alta per æqvora præfers
Tranqvillum infesto ut currat iter pelago:
Te magnum ô hominem, & cunctorum hominum instar habentem?
Qvo præitam seqvitur seclum hominum omne viam.

Ad Symbolum
DANIELIS RINDFLEISCH BUCRETI

FERENDO VINCO.

VII

QVid miser ærumnas & acerbi tristia casus
Damna, qvid instabiles Sorte rotante vices,
Qvid duros lacrymis defles, gemituq; labores,
Pervigil in curas nocte dieq; tuas?
Siccine Fortunæ rabiem lenire malignam,
Sicne ictus, sic te frangere tela putas?

Nil

Nil agis & luctu frustra contendis inani:
Non ictus, non sic frangere tela potes.
Non gemitu aut lacrymis Rhamnusia flectitur ullis:
Præcipites versat sed sine fine rotas.
Desine; & adversos erecto pectore casus
Ferre, licet videas mille pericla, stude.
Firma qvies animi, nullis turbata procellis,
Sistet in optato teq;, ratemq; loco.
Pergin'? & iratis etiam te opponere tentas
Fluctibus, & medio bella ciere mari?
Stulte, qvid obnixus ventis pugnare sonoris,
Sævaq; vis flatu pellere flabra tuo?
Heu nimiumq; miser, nimiumq; insane! Peribis:
Et feret in tanto turbine nullus opem.
Nullus ubi tibi ferre potest. Ah mitte furorem,
Mitte supervacui triste laboris onus.
Qvid dubitas? te Fata trahunt: tibi fata resistunt:
Fataq; te tantis implicuére malis.
Hæc sequere: hæc lædi neqveunt mortalibus ausis:
Nec capit alternas mobilis ordo vices.
Stat gravis æternâ Fatorum lege voluntas,
Stabit & haut ullo dissolüenda modo.
Non mutat decreta sui certissima pensi,
Non Lachesis fusos scit cohibere suos.
Ergo qvid adverso neqvidqvam numine sudes,
Et cumules pœnas in tua fata graves?
Me potius; me, siqvid agis, mihi deditus, audi,
Consiliisq; arma pectus inerme meis.

En adsũ Dea, quæ DURUM, PATIENTIA, FRANGO,
Mollia sub cujus numine secla fluunt.
Illa ego Fortunæ & Fati fortissima victrix,
Omnigeni domitrix nobilis illa mali.
Me cole, meq; animo semper venerare qvieto,
Qvisqvis es, & nostro numine tutus eris.
Fors fera mitescet, mitescet flebile Fatum:
Diffugiet gemitus, cum gemituq; dolor.
Sollicitæ nusqvam curæ; non luctus acerbus,
Non lacrymæ tristes, non tibi qvestus erit:
Sed tranqvilla qvies, pacatæq; otia vitæ,
Et mens cœlicolis æqviparanda Diis.
Tu modó Fortunam jam nunc, tu despice Fatum,
Et ferre horrificas disce utriusq; minas.
Disce feros arcus & spicula tincta veneno
Spernere; nec telis vulnera facta time.
Sume animum, magniq; animi insuperabile robur:
Instrue vi solidâ pectus, & arma cape.
Arma, qvibus vanoq; metu & terrore fugato,
Obvia crudeli strage pericla cadant.
Victor & exsuperes invicto pectore; ut hostes
Te metuant, fugiant, nec nocuisse velint.
Qvalis in æqvoreâ rupes immobilis undâ
Flatibus, & tumidi fluctibus icta maris:
Qvam circum rabies ventorum & turbida ponti
Adsiduo latrans ira furore fremit:

Perstat,

Perstat &, excelsâ scopuli se mole rigentis
Dum tenet, allisæ verbera spernit aqvæ;
Incursusq́ maris, cœliqve minacia ridet
Murmura, & enerves inde vel inde minas.
Mox fragor immoriens langvescit, & unda recedit:
Spumeus hinc æstus canaq́ bulla perit.
Sic ubi vesanos placidè toleraverit ictus
Pondere nullius mens labefacta mali:
Franges sævitiam, & plagas ridebis inanes,
Lætaq́ securo gaudia corde feres.
Nubila fortunæ fugient, discussaq́ Fati
Horrida tempestas Sole oriente cadet.
Et tibi pura dies, totoq́ innubilis ævo
Vita suum molli tramite curret iter.
Qvi mala, qvi casus patitur constanter iniqvos,
Post potitur solidis perfruiturq́ bonis.

MAGNIFICO JOHANNI MATTHÆO WACKERO à WACKENFELS SPONSO.

VIII.

WACKERO longum viduo nova debita conjux
Tandem instauratū redditur in thalamū.
Caussa moræ duplex. nec enim dum qværitur, Diis,
Sic subitò tali digna reperta viro est.

Non

Nempe cui similis vix qvisqvam in gente virili,
Fœminei huic temeré par erat ulla gregis?
U*na gravis nimium hæc: levior nihilo altera*
Pugna maritales inter oborta Deas. (caussa,
Namq; diu studiis discordibus æmula certant
Cum Iunone Venus, Iunoq; cum Venere.
Illa novam renuit veteri sociare marito,
Matronam viduo destinat & viduam.
Hæc desloratam fugitat; viridemq; puellam
Florenti atq; alacri ductitat usq; viro.
Hactenus & dubio lis sine agitata pependit,
In partes reliqvos abripuitq; Deos.
Nunc jam concilio in superûm, Rex Iuppiter æquo
Composuit longas numine dividias.
Caussâ Iuno tamen cecidit, viduæq; cohortes
Exclusæ viduo qvamlibet ex thalamo.
Læta Venus turbâ vicit cum Virgine: victrix
Sed multata eodem hoc sic qvoq; judicio est:
Jussa suarum unam Charitum sibi perdere demtam,
Mortaliq; Deam consociare toro.
U*t qvæ virginei numerum sic semper honoris*
Imminuit, numerum nunc minuat proprium.
At nihil hæc tristis, multâ sed lætior ipsâ
Arbitrii talis gestit in obseqvium.
Et ruit, atq; ultró properat facere impigra damnũ,
Non damnũ: & decus, haut dedecus inde petit.
Namq;

Namq; inhonora hominis neq; sint connubia Divæ,
Diis adeó cari, Diis similisq; Viri :
Et lucrosa autem Dominæ hæc dispendia : partu
Quando dabit plures una Charis Charites.
Ergo Troila te CATHARIS, *Chariteïa Virgo :*
Tertia te Charitum, TROILA *te* CATHARIS:
Te lateri Cytherea suo dijungit amantis
Ad latus & cupidi mittit in oscla viri.
WAGRERO *sociaris : erat quâ conjuge dignus,*
Cœlesti dignus non nisi conjugio.
WACKERO *sociaris : eras qvo conjuge digna,*
Mortali digna haut, hoc nisi, conjugio.
Conjugium ô cœleste, ô non mortale, Deorum,
Non hominum : humanis altius & thalamis.
Jungiminor : miscete genus sociabile juncti,
Unus & á gemino sangvine sangvis eat.
Indigetesq; suos cognato mittite cœlo,
Indigenas terris & generate suos.
Condite felicem gentem prolemq; beatam,
Terrestresq; Deos, æthereosq; homines.
Gignite fœcundam sobolem, & conjungite utrinq;
Terrestresq; homines, æthereosq; Deos.
Sic Venerem, numerum Charitum minuisse, juvabit,
Ex unâ innumeras viderit ut Charites.
Nec tamen has tantum: simul & nova secula Amorũ
Agminaq; usq; gregis plura Cupidinei.

Q *Qvot*

Quot vobis nati, tot enim naſcentur Amores;
Et quot erunt natæ, Gratiolæ tot erunt.
Sic cælumq́, ſolumq́, Deosq́, hominesq́ juvabit,
Sideream terris creſcere progeniem.
Vivite vos: per vos, terreſtria numina, Sponſi,
Vivat ut exoriens dehinc nova poſteritas.

AD JACOBUM MONAVIUM Sponſum.

IX.

CErtus eras, vitæ reliquum quod magne Monavi,
Cumq́ foret, viduo tranſigere in thalamo.
Certus eras: neq́ tam firmam jaculis faculisve
Quibat Amor mentem, nec ſuperare Venus.
Indoluit, veſtri generis quæ & nominis auctor,
Nocturno regnat lucida Luna polo.
Et quid, ait, duris adeó impenetrabile telis
Corriget, Idaliisq́ ignibus indomitum?
Ergóne quando unus ſupereſt, in quo una MonavI
Spes generis, ſpes & nominis una ſita eſt:
Duritiâ illius gens tota á ſtirpe peribit,
Gens orbis columen deliciæq́ meæ?
Ergóne jam haut ſurget, ſeclo ac veniente virebit
Florida perpetuó germine poſteritas?
Siccine. Sed procul ô totum hoc! Gens incluta mecũ
Mecum erit: & terris non jubar hocce prius
Deſinet

Desinet auratos radios diffundere, cælum
Quám ipsa meo æternúm lumine destituam.
Aut si stat fato, lucem istam tollere terris;
Cælo ego dein lumen usq; negabo meum.
Nam mihi qvale siet lumen, lux illa MonavI
Sangvinis obscuras si cadat in tenebras?
Hæc Phœbo pro fratre mihi est: hinc lampada clarã
Mutuor, & rutilâ splendeo læta face.
Sic secum: & curis simul artem astumq; remiscens,
Consultum ipsa viam qva sibi, qværit, eat.
Forte rosis, violasq; inter recubare Puellum
Aligerum Paphio conspicit in nemore.
Ille altum tenero capiebat pectore somnum,
Lassus vana tuum in stringere tela jecur.
Huic pharetramq; arcumq; rapit: fortisq; sagittæ
Instaurat nitidam in cote repente aciem.
Inde arcu lunato ipsa in te missile ferrum
Torqvet Cyprigenâ certius artifice.
Vix stridet nervo, cordi ilicet hæret arundo,
Tuq; jaces totum hoc perditus ictu animum.
O bene! qvære sacri medicum nunc vulneris, almâ
Pectus hians subitó qvi tibi sanet ope.
Sed præstó est medicina. En aureolo ore puellam:
Hæc tibi Pæon adest, hæc tibi certa Salus.
Jungite vos thalamo, paribusq; incendia flammis
Stingvite, felici ô corcula nexa jugo.

Sic Dii, sic Phœbe vult vestra: cui agmine longo
Phœbéam ex vobis gignite progeniem:
Ut stirpis claræ lux omnes clara per annos
Splendore irradiet postera secla suo.
Fallor? ita an denso rutilans examine, vobis
Fœcundo surget de thalamo suboles?
Perpetuó aucta olim numerosa ut luce lacessat
Sidereas cœli per spacia ampla faces?
Non fallor. qvin ipsi eadem qvoq; deniq; Phœbo
Fulgebit radiis invidiosa suis.
Há tum, Luna, tuis gaude & fruere usq; Monaviis,
Nec minor ipso altis fratre triumfa in eqvis.
Tum tibi erit pleno usq; incendere lumine frontem,
Et nitidum in mediâ fundere nocte diem.
At tu, Bresla, nimis felix! qvo nomine te fas
Dicier, hos tales cúm capies radios?
Non urbs, non orbis: cœlũ, cœlum ipsum eris, in qvâ
Sidera tot tantâ luce corusca colent!

JOACHIMO SPECHTIO, JC. Sponso.

X.

SPECHTIUS *Aonidum mystes Themidisq; sacerdos,*
Idem anima & Svadæ Spechtius & Sophiæ:
Spechtius hic Venerem orabat, tandem esse maritus:
Illa, eris: & jam nunc sis age Sponsus, ait.

Sponsus

Spōſº ego? in qvâ igitur? Dabo cui non crudâ ſit ætas,
Integra forma, & dos lauta: ſed hæc vidua eſt.
Sponſus ego in viduâ? Quidni? tu in virgine malis?
Scilicet & vidua haut virginis inſtar habet.
Inſtar habet: ſed ubi flos aureus ille? Qvid ergo?
An qvia virgo haut ſum, Marti amor ipſa minus?
Et qvo conditio tibi tandem virginis, absq; hoc,
Penſior? ipſa etiam virgo ſenex, vidua eſt.
Hæc veró juvenis, vel te qvoq; junior ipſo.
Conveniunt anni, conveniunt animi,
Mores conveniunt, atq; omnia. & hæc tua ut uno
Sit vidua hoc, rebus non vidua eſt aliis:
Non ætate, bonâ non formâ, non vel opum vi,
Vel generis, non virtutibus omnigenis.
Qvid vis ulterius? non id, qvod virgo habet omnis,
Fert tibi; ſed fert, qvod virgo nec omnis habet.
Deniq; ſit vidua hæc; vidua hæc te digna: nec apta
Ulla tuo, ullius nec magis ipſe toro es.
Deniq; ſit vidua hæc; facies tu nempe maritus,
Tu facies, ne ſit ſcilicet hæc vidua.
Audiit arrectis hæc auribus: & tibi Diva,
Si placet illa, inqvit, jam placet illa mihi.
Accipio ipſam, ipſiq; libens me dedo viciſſim,
Sperno alias, unâ totus in hac caleo.
Tu modó, Diva, tuo nos numine junge: per ævum
Et junctos retine numine, Diva, tuo.

Fac cui me donas viduæ, ne me viduetur :
Fac, mihi qvam donas, ne viduer viduâ.
Annuit alma Venus: pennâ simul ipse coruscâ
Plausit, & argutum sternuit omen Amor.

JOANNI MUSELIO SPONSO.

XI.

Audio, festa paras, MUSELI, Aphrodisia Sponsus.
Heic ego te tacitus carmine præteream?
Carmine, qvod poscas etiam oratore qvidem illo,
Impetrabilior qvo neq; Svada fuat.
Sed qvod ego, gratum scissem fore (sic tibi gatū hoc!)
Ultró, nec monitus, crede, daturus eram.
Huc me sacra vocare eadem, nostrisq; videbam
Communes studiis Musicâ in arte Deos.
Huc patriæ qvoq; jura, qvibus natura ligat nos,
Doctis, indoctis jura colenda simul.
Nam tellus utrumq; eadem tulit, incluta tellus,
Imperitat cui BRENNI incluta posteritas.
Atq; ut mittā adeó hæc: ante hæc at cetera cuncta,
Doctrina & virtus me celebrata tua
Illius officii dudum monuêre, qvod omnes,
Doctrina & virtus qveis sit amica, ferant.
Nunc ubi poscis idem tamen, an jam, qvæso, potissit
Sive Venus Musa nostra negare tua,

Seu

Seu Veneri mea Musa tuæ? ne id numina strint
Utraq; nostra qvibus nomina utrinq; cluunt.
Tempore præcipuè isto, atq; istâ præcipuè in re,
Cum tibi sic pulcrè jungis utramq; Deam.
Nostra tuæ dum se miscet, fas me tibi certè
Plaudere, & unanimem consociare animum.
Sed mihi qvando meam in te nunc magis avertisti,
Ut minus in versus officiosa vacet:
Ipse tuam interea mihi, Jane, remitte, negotî
Cui tecum nunc est per tua festa minus.
Et tua enim huic operi multò aptior: ut mea contrà
Aptior, imo una est illi operi apta tuo.
Numina mutemus, mutemus nomina paullum:
Sit tibi nostra Venus, sit tua Musa mihi.
Tu modò ACIDALIUS *sis, sim* MUSELIUS *ipse:*
Rectius officium ut curet uterq; suum.
Qvid verò, qvid facturus? video, anxius hæres,
Ambigui librans momina consilii:
Et tibi nescio qvas hac conditione parari
A nobis metuis sollicitè insidias.
At frustrà es, qvodcunq; times: nil ista pericli
Pactio habet: fraus hinc & dolus omnis abest.
A me qvid metuas? tamen, en, metuisse videris:
Jamq; tacens altum clara & aperta negas.
Qvando igitur non vis, qvid me vis deniq;? jã nec
Qvod volui valeo, nec volo qvod valui.

 Egregium

Egregium anté tuo tibi molibar Hymenæum
Auxilio : per me nunc qveo pæné nihil.
Qvód vel sic possum tamen, ut possum, ecce tibi unũ,
Subjicit heic raptim qvod mea Diva mihi.
Et jubet effari plané qvo carmine cunq;.
Nec longum est : audi; sic qvoq; Diva jubet.
Illa præit qveribunda, ut te tam tempore longo
Incassum in casses illaqveare suos
Cum gnato molita suo, prædam hanc ita opimam
Jam desperarit deniq; pæné sibi.
Frustrá, inqvit, notiq; doli, expertæq; tot artes :
Nil valui insidiis, nil valui illecebris.
Omnia frustrá omninó omni inq; loco, inq; adeó omni
Tempore : utut norim tempus, ututq; locum.
Illum ego tentavi puerum, juvenemq;, Virumq; :
Sed vir, sed juvenis, sed puer ille negat.
Illum ego tentavi qvondam per Gallica regna :
Galla sed hunc cepit nulla puella mihi.
Illum ego virginibus, qvas terra Britannia gignit :
Nulla sed hunc cepit virgo Britanna mihi.
Illum ego & Ausoniis me me spirantibus ipsam :
Sed nec eum cepit Ausonis ulla mihi.
Illum ego & heu Belgis me me superantibus ipsam :
Sed capere hunc potuit Belga nec ulla mihi.
Et qvid ab his alias memorem? qvid deniq; nostras,
Qvarum etiam his multas novimus esse pares?

Sed

Sed licet ipsa pares etiam his Germania multas,
Quæq; etiam superent has, licet ipsa ferat:
Quorsû adeò, in tanto si etiam harũ examine nostrũ
Non nostrum hunc potis est non capere ulla mihi?
Hactenus hæc: & pauxillum sermone represso
Tam querulo, mox deîn lætior hæc iterum:
Sed benè habet: tandem tamen ipsum cepimus. eugé,
Vicerunt artes insidiæq; meæ.
Tandẽ aliquando inveni aliquod tempusq;, locũq;.
En laqueum, quo se præda mea indueret.
Duximus hunc BRESLAM, BRESLÆ hunc induximus, heic hunc
Una mihi cepit, cepit & una sibi,
Cepit iô! Quid jam victrix tam sera triumphum
Differo? quid verbis me moror ipsa meis?
Scande triumphalem mecum Bresla ô mea currum,
Laurigeris pariter BRESLA vehenda rotis!
Ipsa Venus Breslæa, & tu Cythercïa Bresla
Porro exhinc famâ concelebrante clües.
Sic & me juvat, & merita es tu, tot mihi grata
Iam spoliis, uno gratior hoc spolio.
Talia voce disertâ, & secum plura recedens
Me Venus in medio carmine destituit.
Teq; triumphatum festiva ducere pompâ
Festinans, volucres ad juga sueta vocat.
Nunc quid ego illâ abeunte hiscam per me ipse? nihil jã
Suppetit; & quid jam suppetat ulterius?

Nil reliqvum, nisi uti Veneri plaudamus, & unà
Cum populo lætum sæpé ite:emus ió.
Vicit ió! Breslæa Venus, Cythereïa Bresla
Vicit ió! felix Bresla sit atq; Venus!
Nec minus ipse tamen felix tu victe, triumpho
Cui tam felici rursus ovare datur.
Nam tibi dedecori non hæc victoria talis:
Ultró imó, vinci sic, decori esse putem.
Quin neq; te victum esse putem, victoribus ipsis
Qvi te victorem re qvoq; eapse probas.
Sic eqvidem vinci plané est & vincere contrá.
Et qvotus hoc vinci nolit & ipse modo?
O mihi qvám multi cupiant ille esse triumphus,
Qvos Breslæa Venus nondum ita ducere amat!
Tu jam igitur qvi sic dum duceris, ipse vicissim
Ducis; age es felix: ducere, ducq; bené.
Hoc voveo extremũ, qvod primum est: & tibi votũ
Sit breviter, qvo nil sim potis uberius:
Nec magis ex animo. Hunc animum votumq; fidele
Respice, nec tenues despice versiculos: (hoc
Qvos tibi præcipiti fusos nimis impete, primúm
A me ineuntis habe pignus amicitiæ.

JOANNI

JOANNI FUNCIO secundúm Sponso.

XII.

FUNCIUS Aonidum primis sectator ab annis,
Legiferæq; idem perpetuus Themidis:
Flore sub ætatis calidâ stimulante juventâ,
Et blando Veneris victus ab illicio,
Cesserat haut pridem Divæ sub jura vocantis,
Illius æternum promtus in obsequium:
Et toto se animo totum donaverat uni,
Desertis Themidis Aonidumq; sacris.
Nec malé-grata Venus, juveni gratissima jussi
Continuó dederat præmia transfugii:
Præmia, fœmineæ delectam examine turbæ,
Indole vernantem corporis atq; animi,
Pulcram ipsam& pulcrâ Sponsam cum dote: simulq;
Omnia conjuncti gaudia juncta tori.
Felix, propria si longúm bona tanta marito,
Et mercede suâ fas foret usq; frui!
Sed brevis hei nimium, nimium hei brevis illa vo-
Præmiaq; Idaliæ mox periére Deæ. (luptas!
Neglecta indoluére tot uni Numina Divæ,
Postponi: ac temni nescia, sueta coli,
Desertori irata suo, violente rapinâ
Irrita furtivi præmia transfugii

Abstulerunt

Abstulerunt subitó, fatis adjuta sinistris,
Parcarumq; infami usa ministerio.
Abripitur thalamo thalami vix jam nova consors,
Consors infernis jussa nova ire procis.
Ille jacet vacuus, pœnâ multatus acerbâ:
Vindictæq; gravem sævitiam lacrumans,
Non tamen accusat, sed se facinusq; suum illud,
Patratum Veneris auspicio facinus,
Hei non auspicio liqvido! temereq; secutus
Promissam illius svaso in amore fidem.
Frustrà iterumq; iterumq; fidem jam implorat, inani
Nil adeó illius tutus ab auxilio.
Et se igitur Divis hominem peccasse fatetur,
Sed Divæ inductum fraude fuisse hominem.
Hoc qveritur deceptus, & hoc desertus iniqvé
Desertor qverulis vocibus ingeminat.
Sic nunc in Venerem svastricem culpa redundat,
Omnis transfugii transit & invidia.
Qvam Dea sentiscens, fausæ sibi conscia fraudis,
Nec patiens tali in crimine habere notam.
Mota pudore sui simul, illiusq; dolore,
Et miseri ex animo commiserata vices;
Ipsa ultró læsas propero placamine Divas
Vi statuit Svadæ conciliare suæ.
Atq; adit, atq; orat veniam, noxamq; liqventem
Fassa, caput noxæ se qvoq; fassa palam,

Auctoremq;

Auctoremq; doli est. Pacem concedite Divæ,
Inqvit, & iratos ponite nunc animos.
Vindictæ satis estq; datum, satis estq; dolori.
Parcite: non vestrum est perpetuó esse graves.
Durities non ista decet tam mollia corda.
Lene tuum jus est, juris amica Themis:
Et vos humanæ, cultuq; humana per artes
Efficitis vestras omnia, Pierides.
Este Viro faciles rursus, mihi rursus amicæ.
Vestra ego, vester & hic, cui haut licet esse meo.
Et qvando non esse licet, sit vester. at oro,
Si pote, sit pariter vester & ille meus,
Jam vestris meus auspiciis. Communia nobis
In multos, qvid in hunc jura qvoq; esse vetat?
Dixerat: & cecidére iræ de pectore Divis,
Et subiit placidis pristinus ille favor.
Pristinus & major veteri favor: auctus in ipsam
Jam Venerem, atq; ipsum Funciaden Veneris.
Nec mora: ferre novo jam jure suum sibi porró,
Constantiq; jubent fœdere habere suum.
Indulgent donantq; Virum: viduoq; maritum
Ultró illi thalamum mox reparare monent:
Et communibus auspiciis nova jungere pacta,
Jam rata concordi pacta futura fide.
Æternúm rata pacta: modó in tam candida fata
Qværatur digno digna puella toro:

Tantó

Tantó dignior hæc, illâ meliorq́ priore,
Conjugium hoc qvantó prosperius veteri.
Audiit, atq; hilarata Venus, mea cura, ait, ista est:
Et votiva diu cura mihi ista fuit.
Deproperatq́, repenté novi genialia lecti
Fulcra, Cytheriacis mollia deliciis.
Et ducit sibi Diva parem, statuitq́ puellam,
Ante torum, formâ Divæ habituq́ parem.
Formâ, habituq́, omniq́ modo: & te frigide FUNCI
Advocat, hoc rursum calfaciende foco.
FUNCI ades, algentemq́ torũ & tua marcida linqve
Stragula: mitte pigri triste cubilis onus.
Mitte simul gemitus, lacrumasq́ omnemq́ dolorẽ:
Mutata est jam sors pristina sorte novâ.
Humentes absterge oculos, vultumq́ jacentem
Tolle miser, videas ut tua tanta bona.
Non jam, non miser ulterius. Qvid nunc tibi cessas?
Qvidvé times, dubio stans malé nixe pede?
Parce metu: fraus nulla iterum heic, nullæq́ paran-
Insidiæ. nunc jam certa fides Veneri. (tur
Sume animos & crede Deæ. Dea se tibi dudum,
Reddidit, & reliqvas conciliavit heras.
Pax reparata tibi, tibi gratia parta vicissim,
Atq́ Themiste tuâ, Pierisinq; tuis.
Et dehinc jam simul harum & tu simul illius idem
Cultor: & hæ dominæ, nec minus illa, tuæ.

Divis

Divis ergo recepte, tuam cape, qvam tibi Divæ
Unanimes paribus consociant studiis.
Accipe, qvam qvalemq́, vides? Iactura, qvid? an non
Munere pensata est hoc satis illa prior?
O damnum bené sarcitum? ô & tristia cuncta
Versa bené! Optandas ô tibi, Sponse, vices?
Namq́ hoc dicam adeó, fuit olim perdere tanti,
Nunc ut tale tibi surgeret inde lucrum.
Et tanti fuit, in tantos cecidisse dolores,
Gaudia tot caperes ut potiora modó.
Et tanti fuit, illam insignem admittere culpam,
Cumq́ novem decimam deseruisse Deam:
Et tanti fuit, iratas habuisse tot illas,
Unam ipsam Venerem transfuga dum seqveris.
Et tanti fuit, infausto vixisse parumper,
Deceptum lævo numine, conjugio.
Et tanti (qvid eam per singula?) cuncta fuêre,
Cuncta illa, hunc qvæqvæ passus es ante diem:
Tam modó felici ut commutarentur in omnes,
Qvotqvot ab hinc vives, conditione dies.
Sis, ut es, ô FUNCI *felix: longumq́ per ævum*
Perfruere his, qvæ dant Numina amica, bonis.
His aliisq́ bonis, eadem qvæ Numina porró
Promittunt stabili semper amica fide.
Tu stabili modó rité fide cole qvæq́ vicissim,
Omnibus ex æqvo gratus, & ex animo.

Sed

Sed facies, nil hujus egens monitoris. ab ipso
Et qvid te remoror longius officio?
Desine Musa: i tu FUNCI, & tua munia fungi
Incipe, qvæ nunc hæc postulat hora sibi.
I bene, vesper adest: alio post tempore fungi
Illa alia incipies: i bene, vesper adest.

JOANNI OESTENIO Sponso.

XIII.

Tandem, JANE, rati lætas impone coronas,
Per tumidum qvâ antehac vectus es Oceanũ.
Tandem votivas age Diis suspende, ope qvorum
Sospes abisti, iterum & sospes ades, tabulas.
Tandem agita ante tuos convivia festa penates,
Ad patriosq; cadat victima opima focos.
Jam tua trabs emensa implacati æqvoris undas,
Perjuris, Legumq; horrificos scopulos,
Tuta, videt tangitq; optati littoris oram,
Portum & init confecto arduum ovans itere.
Trabs tua; non onerosa opibus, qvas discolor Indus,
A patrio orbeq; humũ mittit in extimã Arabs.
Nec qvas auriflui legit accola ditior Hermi,
Qvásve rubri volvit gemmifera unda maris.
Verùm onerosa opibus precium qvêis grandius, &
Dignior omnigenis claret honos opibus. (qvêis

Incluta

Incluta qvas Sophie arcanis conservat in arcis,
Arcibus & summis mæniit alma Themis.
Tangere qvas nulli manibúsve oculísve profano,
Haut ullaq; etiam in parte frui licitum.
Sed qvas Justitiæ Dea Præstes, munere raro
Rari animi donat affatim habere viris.
Sed qvas é cerebro orta Jovis Patrima virago
Iis largo indulget, prodiga opum, cumulo:
Iapetionides qvêis de meliore metallo
Mentem animi effinxit sedulus atq; animam.
Horum tu é numero unus & unicus, ô Oesténi,
Pectus ita eximiis divitiis gravide,
Post tot sudores, post tam agmina densa laborum,
Post curarum æstus, póstqve metus hyemes:
Felix jam Zephyréa in portum subvehere aurâ,
Segregus ambigui á vorticibus pelagi.
Heic ubi muta silent taciturnis æqvora ventis,
Increpat & nullas sæva tibi aura minas.
Heic ubi curarum reqvies, atq; ante-laborum
Merces, proq; amplis præmia sunt meritis.
Præmia, qvêis majora Dii conferre beati
Terrigenûm sese posse negant generi:
Qvæ te pernici evectum famæ æthereæ alâ,
Panditur astratum qvâ penetrale Jovis;
Longé ultra vulgus statuunt, & honore superbo
Aeternant superâ nomen in arce tuum.

Ecce tibi ut plenis placida intranti oſtia velis,
Occurrunt rapidis Mnemoſydes pedibus.
En cum Mnemoſydum cœtu ut te lætus Apollo
Excipere oblatâ tendit utrâq; manu.
Tendit, & amplexu geminos hinc inde lacertos
Circat: ut adventu en exhilarata tuo
Numina circumqvaq; adſiſtunt littori amœno
Omnia, & inſolitum gaudio ovante fremunt.
Ipſa enim adeſt etiam, Pandoræ qvam horrida pyxis
Et ſcelerata hominum vita hominum è medio
Expulerat pridem: Divam, inqvio, qvæ gladio illã
Cernitur, hanc æqvâ armata bilance manum.
Adſunt & reliqvæ, qvas cauſſa eadem orbe fugavit,
Juſtitiæ ſvetæ munia obire Deæ.
Qvas inter tamen illa alto exſtans vertice ſuprá,
En te divino protenus ore vocat:
Et capiti plexam Laurus de fronde corollam
Imponens; iſto macte, ait, eſto mihi
Munere, cumq; iſto cape & hoc diadema tibi, hosq;
Anellos rutilis usq; gere in digitis.
Et mihi ita Antiſtes juris Gryphum in Nemore almo
Incipe perpetuis fulgere temporibus:
Laudis ut hinc radii tuæ ad atri Memnonis oras,
Adq; orbis penetrent Heſperii indigetes.
Utq; tuum nomen norint, qvos turbidus Auſter
Nunc pluviâ urget aqvâ, pulvereo inde trocho:

Et

Et qvos expressis rigido é nivium cumulo undis
Potat inhumanus sub gelu amaro Aqvilo.
Sic fatur, pressimq; simul te ad pectora honorat.
Osculo, habens labiis juncta labella tuis.
Cujus ad exemplum & reliqvæ tibi basia libant,
Inspirantq; suâ legum animam ex animâ.
Qvæ dein vix complexu ubi te emisére solutum,
En prope adest felix Eurynomæ suboles,
Trina Charis, comitata Cupidineæ agmine sectæ,
Teq; sibi comitem poscit heræ imperio.
Poscit & abducit cinctum glomerante catervâ
Gryphiaci ad Nemoris interiora loca.
Arbor ubi multa obtentu impenetrabilis umbræ
Intactam arcanæ vallis opacat humum.
Heic Venus advenientem hilaro excipit ore manuq;,
Et sistit pictas inter Hamadryadas:
Inter & illecebras Faunûm Satyrûmq; Napæas,
Atq; alios inter virginum amabilium
Sangvine de nostro natos longo ordine cætus:
Forma qvibus toto corpore vinnula inest.
Una tamen reliqvis formosior unica, cunctas
Ore, genis, oculis, moribus exsuperat.
Hanc Venus unanimi tibi vinclo adamantino amoris
Augusto sociam copulat auspicio.
Atq; ait: Haut ultrá, Iuvenis, discrimina ponti,
Haut metues claustri perfidiam Aeolii.

 Tentatum

Tentatum satis: en ligo ego te hac compede firmâ,
Ne possis liqvidum postmodó currere iter.
Inde maritali jam nunc tua colla capistro,
Subq; meo posthac vivere disce jugo.
GERTRUDEM tibi do propriam, tu te propriam illi
Da modó: & alternâ mutuúm amate fide.
Virgine tu dignus, JANE, es, te dignaq; virgo,
Nec tu aliâ aut te alia est digna mage ulla alibi.
Quæ si fors Phrygiam mecum olim abiisset ad Idam,
Tunc ubi de formâ lis mihi principe erat;
Non ego, non Paride rediissem á judice victrix:
Illa manu malum ferret id aureolum.
Sic Venus: adplaudit matri grex omnis Amorum,
Et numerosa Jocorum atq; Lepórum acies.
Ipse Hymen ardentes faculas qvatit, & pede saltans
Tinnula mellifluâ carmina voce canit.
Reponsat Nemus ad plausum, cantusq; sonoros
Aëris ac lingvæ nata freqvens iterat.
Qvin etiam ventorum audin' spiramina, motis
Blanditer arborum uti sibila dant foliis?
Nimirum ipsæ auræ tibi lætæ agilesq; hymenæum
Cantant, & festo fausta vovent thalamo.
Felicem, ô te felicem, Sponse optime, cui tam
Diiq; Deæq; & qvodcunq; ubicunq;, favent!
In cujus decora & laudes mare, terra polusq;
Conspirant parili firmiter obseqvio.

Non

Non tibi ego decoris qvidqvam laudisq; potissum
Hisce adeó incultis addere versiculis.
Nec tibi ego decoris qvidqvam laudisve potissim
Egregié cultis addere versiculis;
Si sim Mæonides, si vena & avena Maronis
Sit mihi, vel Phœbi si mihi sit cithara:
Sat decoris, sat laudis habes in te unico & uno,
Cui decoris laudisq; attribuere apicem
Divorum modó tota cohors. qvæ plura reqviras?
Frustrá á me; nimio plus tibi qvi dedero,
Si saltem haut decoris qvidqvam laudisq; paratæ
Hisce adeó incultis demsero versiculis.
Fórs meliora dabunt alii, qvi totâ Aganippe
Ebrii Apollineos æqviparant modulos.
Me reptantem imi radicibus in Parnasi,
Guttulâ adhuc nullâ é fonte volantis Eqvi
Imbuerunt Musæ, & nitentem ad culmina frustrá
Ridens heu turpi Phœbe notas digito!
Sed tamen, utcunq; est, qvaliscunq; aura Dei nunc
Me adflat, utut limis me astra vident radiis:
Hoc studium tu, IANE, proba atq; hæc symbola mẽtis,
Symbola candidulæ candida mentis habe.
Sic te Dii florentem opibus, tua qvas tibi virtus
Ingeniúmq; sagax sedulitasq; tulit,
Ætatem servent: & diæ ut sacra Themistos
Gemmula fulgosâ luce diu niteas,

Nelidæ annosi tibi dent anteire senectam,
Secla hominum cui uni trina dedit Lachesis.
Sic tibi, sic nuptæq; tuæ adsit Cynxia, sic vos
Qvotqvot sunt casto Numina amica toro,
Nexibus irruptæ fidei, & concordiæ ahenæ
Glutine conjugii sub juga firma jugent.
Cordibus ut binis in bino corpore semper
Unius aura animâ spiret ab unâ animi.
Et thalami fœcundum optatâ in pace novale
Multiplicem tenero germine det subolem.
Voti hæc summa mei: cui ne qvid desuat olim,
Huc jam age, JANE, tuam huc impiger adde operam.

JOANNI LUBBECHIO J. U. D. *Sponso.*

XIV.

LUBBECHIO viduo viduámne an virginem amare
Dignius? Et viduam & virginẽ amare licet.
At viduam viduo componi rectius, & sub
Jura adigi melius qvis neget æqva tori?
Qvisve neget paribus paritatem ætatis amorem
Corde in utroq; magis conciliare parem?
Ipse tamen qvæsitus utram sibi ducere malit:
De viduâ ridens, verum ita, nec nego, ait:
Nec mihi sic viduam tamen allaudabitis, ut sit
Et vidui & senis hæc svavior in thalamo.

Qvidn.

Qvidni Virgo etiam viduo sociarier, & sub
Æqva qveat rectè jura venire tori?
Ævum impar prohibet? mores spectemus: amorē,
Illi ubi sunt pariles, qvis neget esse parem?
Morosæ viduæ, tetricæ, fastuq; tumentes,
Et tristi plerumq; imperiosæ animo.
Et super hæc: thalamo qvêi sit magis apta secundo,
Primi qvæ mores semper olet thalami?
Hâncne ego in arbitrium sperem me cogere nostrum
Antè sub alterius qvæ fuit arbitrio.
Næ malè ferre meos possit me conjuge mores
Pridem altè mores qvæ imbibit alterius.
Vix facile è multis recoqvatur millibus una
Se novum uti placidè fingat ad imperium.
At mihi Virgo hilaris, blando sermone, decora,
Miti animo, & castis molle tuens oculis:
Virgo mihi thalamum subeat, nostrisq; benignè
Componat mores moribus usq; suos.
Hanc mihi, ut haut digito fingentis cera repugnat,
Ritè meum facile est ducere in obseqvium:
Hæc jucunda mihi, domui, jucunda cubili:
Hæc curis presso dulce levamen erit.
Hæc, qvos è viduâ haut sperem pariet mihi natos:
Qvid moror? hæc senio sola medela meo.
Macte isthoc animo, Vir spectatissime, macte:
Judicio felix & fruere usq; tuo.

Nelidæ annosi tibi dent anteire senectam,
Secla hominum cui uni trina dedit Lachesis.
Sic tibi, sic nuptæq; tuæ adsit Cynxia, sic vos
Qvotqvot sunt casto Numina amica toro,
Nexibus irruptæ fidei, & concordiæ ahenæ
Glutine conjugii sub juga firma jugent.
Cordibus ut binis in bino corpore semper
Unius aura animâ spiret ab unâ animi.
Et thalami fœcundum optatâ in pace novale
Multiplicem tenero germine det subolem.
Voti hæc summa mei: cui ne qvid desuat olim,
Huc jam age, JANE, tuam huc impiger adde
operam.

JOANNI LUBBECHIO
J. U. D. *Sponso.*

XIV.

LUBBECHIO viduo viduámne an virginem amare
Dignius? Et viduam & virginē amare licet.
At viduam viduo componi rectius, & sub
Jura adigi melius qvis neget æqva tori?
Qvisve neget paribus paritatem ætatis amorem
Corde in utroq; magis conciliare parem?
Ipse tamen qvæsitus utram sibi ducere malit:
De viduâ ridens, verum ita, nec nego, ait:
Nec mihi sic viduam tamen allaudabitis, ut sit
Et vidui & senis hæc svavior in thalamo.

Qvidni

Qvidni Virgo etiam viduo sociarier, & sub
Æqva qveat rectè jura venire tori?
Ævum impar prohibet? mores spectemus: amorē,
Illi ubi sunt pariles, qvis neget esse parem?
Morosæ viduæ, tetricæ, fastuq; tumentes,
Et tristi plerumq; imperiosæ animo.
Et super hæc: thalamo qvêi sit magis apta secundo,
Primi qvæ mores semper olet thalami?
Háncne ego in arbitrium sperem me cogere nostrum
Ante sub alterius qvæ fuit arbitrio.
Næ malé ferre meos possit me conjuge mores
Pridem altè mores qvæ imbibit alterius.
Vix facile é multis recoqvatur millibus una
Se novum uti placidé fingat ad imperium.
At mihi Virgo hilaris, blando sermone, decora,
Miti animo, & castis molle tuens oculis:
Virgo mihi thalamum subeat, nostrisq; benignê
Componat mores moribus usq; suos.
Hanc mihi, ut haut digito fingentis cera repugnat,
Rité meum facile est ducere in obseqvium:
Hæc jucunda mihi, domui, jucunda cubili:
Hæc curis presso dulce levamen erit.
Hæc, qvos é viduâ haut sperem pariet mihi natos:
Qvid moror? hæc senio sola medela meo.
Macte isthoc animo, Vir spectatissime, macte:
Judicio felix & fruere usq; tuo.

 Nam

Nam qvid ego aut alii voveant tibi, præter id, ipse
Qvod tibi de tali es virgine pollicitus.
Dii tamen id firment: fauſtoq; in amore perenné
Te ſerventq; tuæ, JANE, tuamq; tibi.



VAL-

VALENTIS ACIDALI ELEGIARUM LIB. II.

AD URATISLAVIAM.

I.

FLos sacer Europæ, clarissimeq; urbium ocelle,
Bresla, ô Bucret I patria cara mei!
Qvis tibi, qvis Divûm tam læto lumine ridet,
Qvæ te tam niveâ sidera sorte beant:
Ut qvod habet decoris Germania cunq; superbi
Omne tuo teneas sola beata sinu?
O Bresla, innumeris ter felicissima donis!
Vatibus ô cunctis digna perenné cani!
Non ego in his, ut te celebrē. tamen haut qveo qvin
Ipse meis dicam te qvoq; versiculis. (&
Sed mihi non tam urbis splendor, non mœnia, turres,
Tecta, amplæq; oculos divitiæ feriunt.
Illa alii laudent: ego mactos laude perenni,
Una qvibus clares, suspicio usq; viros.
Tu genitrix clari ingenio & clari arte MonavI,
Qvem fama Eois didit & Hesperiis.
Tu stirpem aureolam produxti Rhedigerorum,
Fulget sidereis æmula qvæ facibus.
Hinc Thomas pridem Aonidum jubar: hinc modó,
Et patrui & proprio nomine Nicoleos. (*notus*
Tu qvondam, priscæ illum nobilitatis honorem
Fovisti augusto Dudithium in gremio.

Dudithium Themidis, Phœbi, Svadæq; medullam,
Æternúm cujus gloria viva veget.
Tu peperisti orbi medicâ insignem arte Cratonem,
Extima qvem mundi novit amatq; plaga.
Tu Jenckwitzium habes heroëm, illoq; Senatus
Principe summa caput tollis in astra tui.
Tu magnum Ursinum, & Wackerum, Iuris & æqvi
Patronos, Clarii sidera bina gregis.
Tu Schillingiũ habes, Cliôus animũ unicũ, habesq;
Astrææ columen nobile Reussium heræ.
Tu celebres mystas, Hermannũ & Scholtziũ, Hygéæ,
Qvos morbi & trepido mors fugit ipsa pede.
Tu nostros peperisti etiam Bucretium amores,
Jam tum qvi qvoq; te luce novâ irradiat.
O felix istis, & qvos mihi dicere non est,
Pluribus ô nimium Bresla beata viris!
Et qvis adhuc te unam non dixerit orbium ocellum,
Qvæ tot fulgidulos orbis habes oculós?

AD DANIELEM RINDFLEISCH BUCRETIUM MEUM.

II.

Qvid modo cæruleæ digressa á littore Balthes
Fama mihi intrepidis murmurat auriculis?
Qvid mæstum horrisonis turbatrix Diva susurris
Nuntiat, & constanti ore freqvens iterat?
Me miserũ! heu miseré miserũ! perii, & pote non jã est
Anxius immitem hunc ferre dolorem animus.

Ah

Ah perii! penitis liqvefiunt ossa medullis,
Mensq; vaga excitis fluctuat in lacrumis.
O dolor! ô lacrumæ! qvæ sat lamenta dolori,
Qvæ satis in lacrumas unda futura meas?
Ergóne Varniadum roseos Bucretius hortos
Atq; ipsas potuit linqvere Varniades?
Ergóne tam docti fugiens tecta alta Lycei,
Aufugit nostris pepetuum ex oculis?
Aufugit seq; eripuit Bucretius, ille
Ille meæ major pars meliorq; animæ.
Ille animi cura una mei, ille amor, ille meum cor,
Ille sui Seiren dulcis Acidalii.
Qvid qverar? aut qvidnam incusem? vosne impro-
Improba, & unius non mihi caussa mali. (ba fata?
Hócne etiam reliqvis unum, hoc tam triste malorum
Innumerabilium defuit agminibus?
Nec mihi jam sat erat curarum atriq; doloris,
Hæc nisi curarum me obsidio premeret?
Obsidio curarum atriq; infanda doloris
Tormenta. heu tristis carnificina animi!
Qvid feci miser, & tantam qvo crimine pœnam
Promerui? aut qvænam tam gravis ira Deûm?
Qvævé odia haut ullis unqvam exsaturata periclis,
Qvævé mihi intentant sidera perniciem?
Heu heu! Sicne meum in caput omnia conjurarunt?
Siccine tam variis casibus exagitor?

Varne

Varne Pater, liqvido qvi interluis amne rosetum,
Cujus ego qvondam dulcis alumnus eram:
Varne pater, vosq́; ô vitreo sub flumine Nymphæ
Varniades, qvarum cultor inanté fui:
Haécne fides & promissi constantia vestri?
Mósne etiam sanctis fallere Numinibus?
Scilicet á vestris, memini, cúm avellerer oris,
Hæc abiens mæsto pectore dicta dabam:
Hæc dicta, hasq́; preces animi é penetralibus imis
Fundebam vestri marginem apud fluvii:
Me nunc fata vocant alió. Vos chara valete
Numina, perpetuó numina cara mihi:
Nec pigeat, qvem tam blandé sovistis alumnum,
Semper inoblitis condere pectoribus.
Tempus erit cúm vos & flumina nota revisens,
Debita pro meritis munera persoluam.
Interea meminisse mei juvet, atq; sodales,
Qvos mihi lex stabilis jungit amicitiæ,
Servare incolumes, ut me cúm fata reducent,
Nullus in hoc omni deficiat numero.
Vestræ illos fidei, vestræ, ô pia numina, curæ
Tradimus! his salvis ipse ego salvus ero.
Hunc mihi thesaurum, qvi me mihi carior ipso,
Varne tuere pater, Varniadesq́; Deæ.
Sic salvete simul, simul atq; valete, meum qvó
Salveat ac valeat dulce sodalitium.

Tantum.

Tantum. & continuo applausu mea verba probastis,
Plurimâq; assensus visa mihi indicia.
Visa mihi: at qvám vana fides, promissaq; vana,
Nunc ubi fidam opus est ferre reapse operam?
Varne ô, Varniadũq; cohors, qvêi fallere alumnum
Convenit, & vanis ducere pollicitis?
Si vos mente piâ colui, si carmina vestris
Grata olim ripis sæpius accinui:
Cur adeó aversis nunc mentibus hocce negastis
Tam tenue absenti tamq; leve officium?
Hei mihi! jam reditũ vestros meditabar ad hortos,
Jamq; erat ad gratos ire animus fluvios.
At nunc ingratos fluviosq;, hortosq;, nec ultrâ
Vel roseos hortos, vel roseos fluvios.
Omnia nunc deserta mihi atq; inamœna videntur
Versari madidos adsiduè ante oculos,
Omnia nunc lacrumosa abitu sunt reddita amicûm,
Qvêis sine nil oculis, nil animo superest
Jucundũ: nil qvod qvidqvam juvet amplius. eheu,
Tam citó lux isthæc vertitur in tenebras?
Non vobis dulces licuit retinere sodales,
Atq; moram injectis nectere compedibus?
Non prohibere abitum illorum potuistis acerbum,
Mœrorisq; mei tollere materiem?
Præcipué tamen ante alios, qvem præcipué unum
Ante alios abiisse ex animo doleo;

Non

Non Bucretiadæ licitum intercludere gressus,
Non fas præcipitem illi eripuisse fugam?
Illi inqvam Bucretiadæ, qvem vos qvoq; mecum
Dilextis sinceri intimo amore animi.
Gloria qvi vestri florebat prima Roseti,
Æmulus in vernas purpureo ore rosas.
Non servare mihi hunc vobis licuisse putandum est,
Ulteriusq; sacris fotum alere in gremiis?
Non eqvidem licuisse puto. qvêi namq; voluntas
Promptior, & fidum defuerit studium?
Qvin immò & longo reor indulsisse dolori,
Et si fas lacrumas fundere Numinibus,
Luctu acri solvisse animos divinaq; fletu
Lumina tam cari discidio capitis.
Vester honos etenim, vestrum decus ille cluebat,
Ille fuit vestri lux oculusq; gregis.
Sqvallida nunc vestra arva jacent, nunc aurea tem-
Nunc orbata suo gramina sole dolent. (pe,
Graminaq; & plantæ & florum mœstissimus ordo
Signa danunt magnæ plurima tristitiæ.
Ipsa etiam segni fertur nunc langvida cursu
Lymfa, nec undantes est memor irevias.
Ipsi etiam vestro vivunt qvi flumine Olores,
Luctisonum mœstis dant gemitum in latebris.
Cætera qvid memorem? Dolor omnia perculit unus,
Unius & turbata omnia sunt abitu.

Cetera

Cetera ſed qvamvis memorem, ac numerare dolores
Omnium & innumeros inſtituam gemitus:
Nullibi tot poſſim & tantos reperire dolores,
Nullibi tam innumeros inveniam gemitus,
Qvám in me ipſo; in me uno & ſolo, in me inqvam
(unico & uno,
Qui jam nunc totus ſum dolor ac gemitus.
Optime Bucreti, atq; animi pars optima noſtri,
His tamen unis haut optime dividiis:
Qvei me, qvei tantó libuit mactare dolore,
Curarum & tanto occidere me cumulo?
Hoccine pro ſummo precium mihi reddis amore,
Qvémq; dedi, hei miſerum ſic crucias animum?
Sic animum mentemq; animi, ſic cor animámq;
Immedicabilibus vulneribus laceras?
Non ſat erat pridem adſpectu caruiſſe beato,
Et tam felici haut poſſe frui alloqvio;
Ni qvoq; perpetuum optato privarer amico,
Meq; carere ipſo cogerer, & ſine me
Ævum agere, ac vivũ modó circumferre cadaver,
Et fatum ante meum currere mortis iter?
O vitam invitam! ô invitæ triſtia vitæ
Tempora, perpetuis tempora fœta malis!
Ergóne ſic mihi te, ſic me tibi fata dederunt,
Ut modó teq; mihi, meq; tibi eriperent?
O fata infanda! ô infamia fata! qvid, ah, me
Qvid fiet? qvid mi jam reliqvum eſſe poteſt?

Antè mihi, cùm vos pariter Musasq; relinquens
Pellerer in studiorum hocce meum exsulium,
Spes erat haut longi post temporis intervallum
Ad Musas subito posse redire gradu.
Spes erat ad caros non parva revisere amicos,
Disjunctamq; iterum jungere amicitiam.
Spes erat ad te etiam remeare, & cernere vultum,
Sermonesq; tuos aure avidâ bibere.
Hac spe mœrorem sum consolatus amarum
Hactenus, & leviter tot mala sustinui.
At modò tecum unà me spes etiam illa reliqvit,
Factaq; vesani ludibrium Boreæ est.
Qvò fugis & quæ caussa viæ tibi, care sodalis
Cura dolorq; hominum, cura dolorq; Deûm?
Qvò raperis, qvid te roseâ cispellit ab urbe?
Qvid tam præcipiti cogit abire fugâ?
Patria te dulcis revocat dulcesq; propinqvi,
Qveis alacri morem jus gerere obseqvio.
Jus eqvidem. sed enim dum illos colis obseqvio isto
Lædis & injustè me nimis exanimas.
Perge tamen, qvò te juris ratio avocat. haut te
Detineo, aut per se justum iter impedio.
Non saltem mihi te licuit, dulcissime rerum
Bucreti, ô mea lux, deliciaéqve meæ:
Non saltem extremâ affari atq; amplectier horâ,
Extremúm & tepidis spargere te lacrumis?

Non

Non saltem licuit supremis oscula verbis
Addere, & alloqvio fractum animum, atq; oculos
Adspectu recreare tuo? non deniq; mi fas
Triste Vale audire & dicere triste Vale?
Hic dolor, hæc imas exhaurit cura medullas,
Hoc mihi præ reliqvis flebile cordolium est.
Hinc ego, seu nox densa operit caligine terras,
Sive dies pulsis lucem aperit tenebris:
Hinc crucior, variisqve modis & morsibus aspris
In varias miseré particulas laceror.
Non adeó sævos inferno Acheronte dolores
Infelix pridem perpetitur Tityus.
Infelix Tityus: crudi qvi vulturis ungve
Obscœna assiduo viscera distrahitur.
Infelix Tityus: sed ego infelicior illo;
Corporis illi etenim, mî laniena animi est.
Qvó me igitur vertam? tantis cruciatibus unde
Unde petam medicas experiárqve manus?
Unde petam? qvis mi qveat auxiliarier ægro;
Heu nemo! heu nulla est huic medicina malo!
Nulla est huic medicina malo. nam vulneris auctor,
Una salus á qvo pendet & auxilium,
Fugit, & heu nostris nunqvam cernendus ocellis,
Æternúm expertes nos ope destituet!
Bresla quid, ah quid Bresla meis nimiū invida votis,
Immeritum tanto plectere supplicio

S Collibuit?

Collibuit? Decus ille tuum Bucretius, & laus
Maxima, non poterat lausq; decusq; tuum.
Esse; nisi eriperes aliis ipsumq; teneres
Sola, tibi soli qvem genuisse putas?
Non ferre ille tibi jucundi debita alumni
Hoc sine discessu gaudia? non poterat
Nunc qvoqve speratum genitrici reddere fructum,
Hunc nisi mi luctum mœstitiamq; dares?
Sed qvid ego vanis neqvidqvam qvestibus insto,
Bucreti, & patriæ bella tuæ moveo?
Illa tenet jam te, & fovet acri sedula curâ,
Nec qvoqvam é molli mittet abire sinu,
Vel precibus vel mota minis: nec jam ulla tui spes
Linqvitur, aut votis caussa locúsve meis.
Sed venit modó cunctarum distractio rerum,
Venit discidium, mœstaq; vastities:
Vener unt mala cuncta mihi bonaq; omnia tecum
Fugêre his miseris perdita dividiis.
Nec mihi jam præter luctum, tristesq; qverelas
Qvidqvam infelici restat in exsulio.
Scilicet una mei casus medicina madentes
Perpetim erunt lacrumæ & cū lacrumis gemitus.
Æterni gemitus; qvibus ut sine fine ferendis
Sufficiam, Cœum pectus habere velim.
Ergo gemo, ergo fleo: & gemitu exedo corda perneni,
Fletibus undantes & perimo usq; oculos.
Hinc

Hinc langvore stupent præcordia, luridus ora
Pallor, & exsangvis corpus habet macies.
Nec jam pectori inest fermé vis ulla gemendi,
Vixq́; oculis fletus humida gutta venit.
Non tamen aut gemitu aut lacrumis desistere possũ,
Cúm præter gemitus nil habeam ac lacrumas.
Te qvando specto, divineq́; optima mentis
Munera, certatim qvæ tibi Dii déderunt;
Nec par ingenti Phœbus potis esse dolori est,
Nec tute es, tua nec sunt bona flenda mihi.
Ergo animo afflicto si fors qvid Apollo ministrat,
Effundo trepidos pro lacrumis numeros.
Me qvando specto, turbataéqve acria mentis
Vulnera, certatim qvæ mihi Dii déderunt;
Nec par ingenti Phœbus potis esse dolori est,
Ipse & ego, mea sunt & mala flenda mihi.
Ergo animo afflicto cúm nil feré Apollo ministrat,
Effundo tepidas pro numeris lacrumas.
Te qvando simul & me specto, ac mutua corda
Utrinq; hoc sævo langvida discidio;
Turbantur cuncta, & Phœbo certante dolori,
Effundo mistos cum lacrumis numeros.
Sic agitur mihi vita & sic consumitur ætas
Perpetuo in fletu, perpetuo in gemitu.
At dolor ille tamen nullâ ratione levatur,
Nec desiderio est ulla tui reqvies.

Hoc etenim ſpes nulla licet ſuffulciat, usq;
Creſcit, & arcanâ vi usq; alimenta capit.
E lacrumis alimenta capit, quibus ex die in horas
Invigilo, & multis mortibus immorior.
O ſaltem plagâ liceat defungier unâ,
Nec lentis adeó hinc inde trahar gradibus!
Heu trahor & retrahor momentis omnibus, & non
Cura mihi pauſam ſcit facere exiguam!
Tu veró Bucreti artis complexibus hærens
Carorum, & patriæ molliter in gremio
Fuſus, agis feſtas hilari nunc pectore luces,
Dulcibus ac celebras otia lætitiis.
Heu ſors diſsimilis nimium! lugente ſodali
Gaudia tu, & riſum flente beatus habes.
Nec tamen invideo. procul eſt procul invidia: haut
Tabe ſuâ livor tabificus tetigit. (me
Nec fas ambroſiæ reor invidiſſe liquorem
Diis ſuperis. non me tanta tenet rabies.
Immó me & exhilarant & opacæ nubila mentis
Parte aliquâ tua mî gaudia diſcutiunt.
Tu ſaltem, dum fata ſinunt, ſume undiq; tutus
Lætitiæ oblatum nectar & ambroſiam.
Sis felix: meritisq; tuis quæ munera Divi
Munificâ exſolvunt exſolüentq; manu,
Ætatem iis fruere, & ſecurâ mente triumfa,
Atq; mihi columen vive meum incolume.

Me

Me satis est irati adversis flatibus Euri
Jactari rapidis fluctibus in pelagi.
Me satis est scopulos varios, Syrtesq; Charybdesq;
Infames misero tangere naufragio.
Me satis est. Te blandisono cum murmure lætum
Per mare jucundi flabra vehant Zephyri.
Ne tamen immemorem nostri te oblivia reddant,
Si mereor, vigili qvæso cave studio.
Nec renue incepti stadium decurrere amoris,
Junctaq; constanti vincla fovere fide.
Mutua ego æternúm faciam, nec charior unqvam
Te uno, dum vivam, vivam ita, mi alter erit.
Qvin tui amor tantũ assiduas mihi crescet in horas,
Qvantum amor & Phœbi crescet & Aonidum.
Vivam BucretI, moriar BucretI in amore,
BucretI ut celebri nomine concelebrer.
Cumq; extrema dies aderit, Jovis in Philii ara
Hunc tibi supremo, en, igne cremabo animum.
Hoc de me certum. At si qvid potero amplius, omne
Qvod potero cunctis viribus efficiam.
Teq; adeó, Musæ faveant modó, & æquus Apollo
Non, exspectato deserat auxilio:
Te, qvem jam anté omnes clarabit adorea in annos,
Summa cerebrigenæ ac vivida adorea Heræ.
Te qvem fama volans laté gemmantibus alis
Sublatum Eois dicet & Hesperiis:

Illum te & talem venturis inserere annis
Conabor nostris dehinc qvoq; carminibus.
Aut id si nimium est, & tanti haut conscia Musa
Roboris, istud fors aggredi opus renuet;
Saltem, qvod potero, insignem hunc testabor amorẽ:
Qvantaq; sit nostri pectoris integritas,
Ostendam: ut seri Fidei monumenta nepotes
Alterni & specimen fœderis adspiciant.
Qvód si etiam scabro qvisqvam te arrodere dente
Vexatus stygiis invidiæ stimulis,
Occipiat: qvamvis nihil invidia ipsa procaci
Cum livore tibi detrahere inveniat:
Si tamen occipiat; mihi erit simul ac patefiet
Nominis & laudis maxima cura tuæ.
Ista tibi nunqvam fore sanctis omnia verbis
(En tango hosce oculos) irrita polliceor.
Flos hominum, flos sancte hominum, flos sancte Deorum,
Bucreti ô Divûm deliciæ atq; hominum!
Bucreti ô patriæq; oculus sidusq; perenne,
Summaq; Varniaci gloria gymnasii!
Accipe qvam tibi juro fidem: nec forté puta me
Promissi fictis ludere imaginibus.
Accipe & has mœsto qvas fudi corde qverelas,
Tristitiæ ac luctus symbola certa mei.
Accipe qvæ scripsi: & tibi qvæ nũc scripta feruntur,
Qvo sunt scripta animo pellege, qvêisq; oculis.

Qvid

Qvid dixi? Iisdẽ oculis, animoq; hæc pellege eodem,
Qvo sunt scripta animo carmina, qvêisq; oculis?
Ne veró, ne Bucreti. Túne illa, qvibus nos,
Iisdem oculis videas, eôdem animoq; legas?
O absit procul! illo animi candore & amicis
Qvo & qvibus hæc scripsi, pellege nostra oculis.
Id volui & dixisse volo. Nos scripsimus ista
Turbatoq; animo turgidulisq; oculis.
Tu lætis ea cerne oculis, animoq; sereno
Pellege: non ullo digne malo Juvenis.
Non digne ingratis pectus corrodere curis,
Non digne ætherios fletu hebetare oculos.
Omnigenis sed digne bonis: quæ puriter acta
Et vitæ debent & meritis Superi.
Sat mihi, si faveas saltem conatibus istis,
Ac tenui hoc placeat Musa mea officio.
Sed jam triste vale, qvod corám dicere nobis
Haut licitum, é mutis accipe versiculis.
Dii, qvorum variis opulescis dotibus auctus
Undiq; fortunâ, corpore & ingenio.
Diiq;, Deæq; simul, qvarum tu semper amore
Magnus & ipso olim tempore major eris:
Dent tibi tranqvillæ felicia fata juventæ,
Mollia pacatis otiaq; in studiis.
Dent tibi postillá lætam viridemq; senectam,
Atq; onera incani dura abigant senii.

Et quia jam æternæ debent tibi præmia famæ,
Emerita ingenio præmia, Pierides:
Ipse etiam Musis longi sis debitor ævi
Victurus Pylio secula plura sene.
Hoc sibi Pierides optant, hoc optat Apollo,
Optat & egregiûm docta corona Virûm.
Hoc optat Patria, & conjuncti sangvine Amici,
Optat idem tuus hoc unicé Acidalius.
Optat idem, precibusq; piis pia numina poscens
Pro te votivis sæpé facit numeris.
Salve ô Bucreti, sol ô meus unice salve,
Bucreti ô iterum salve, iterumq; vale.

In obitum

ILLUSTRIS JACOBI CURTII, AD JO. MAT. WACKERUM.

III.

CUrtius ergo fuit? Famæ non credo sinistræ:
Et fugio infaustæ nuntia scæva Deæ.
Sed tu scribis idem, tibi fas & credere, magna
Wackere, aulæ pars & nova Cæsareæ.
Invitus quoq; credo tibi: vanumq; nimis te
Heu verum, auctorem (da veniam) esse velim.
Curtius ergo fuit, fuit ergo Curtius. eheu
Qvám libeat nunc mendaci etiam esse mihi!

Sed

Sed fuit. & nos illi exstincto funebre carmen
Immaturas debemus in inferias.
Esse pium par est tam sanctis manibus: & tu
Conantem huc ultró me prior ipse vocas.
Exemplo monituq; tuo: flentemq; Camœnam
Porró etiam in mœstas sollicitas lacrumas.
Qvid vis? ecce fleo dudum, Cææq; retracto
Næniæ honoratas munia ad exseqvias.
Sed qvid præter flere jubes? præconia versu
Curtia vis etiam pangier ipsa meo?
Curtia victuro pangi præconia versu,
A magno debent nec nisi vate cani.
Nos tenues nihil in tantas laudabile laudes
Condere vis angustæ artis egena sinat.
Qvi si qvid possim, me illi devovero totum,
Atq; operam omnem uni surripiam huic oneri.
Nunc neq; vel tentare mei mihi conscius ausim,
Officium & qvid me perdere tale juvet?
Qvod possum plané facio, & qvod debeo. nam qvis
Non debet lacrumas Curtiadæ tumulo?
Curtiadæ: cujus meritis Germania plena est
Tota, nec Europæ vel regio ulla vacat.
Ille sacro admotus clavo imperii, atq; secundo in
Puppe locatus ab ipso Induperante loco,
Omnia demeruit sibi devinxitq; merendo,
Omnibus unus commune fuitq; bonum.

Huic privata simul res, huic res publica debet,
Cumq; agris urbes, regnáq; cum populis.
Huic homines debent, debent huic numina: docta
Præcipué & doctis numina culta viris:
Ipsi culta etiam præ aliis, & honore perenni
Ad fati extremum condecorate diem.
Ergo iterumq; iterumq; fleo, & flent omnia mecum
Tam carum amissum, tam meritumq; bené
Patronum patremq;, & in illo amissa tot uno
Hei bona! quis fletu temperet & gemitu?
Cuncta dolore jacent, & fœdo sqvallida luctu,
Obruta pullatæ Sortis amaritie.
Cuncta suum tacité, aut singultibus interrupto
Ah frustrá, qværunt sed tamen usq; sono.
Aula suum magis, ipsa suum magis aula reqvirit:
Qvæ ceu desolata únius hoc abitu
Stat miserando inhonora habitu, raucisq; qverelis
Personat, & planctu rumpitur assiduo.
Sed Germania & ipsa, sed Induperator & ipse
Romani Augustus sceptrifer imperii,
Sentit in hoc sua damna, haut tenuia funere damna:
Sollicitus reparet qvo sua damna modo.
Indignatus & ereptum sibi tempore in isto
Mussatâ cœlum pulsitat invidiâ.
Pectoráqve in varias curis exercita curas
Funere ab hoc implet tota dolore novo.

Jam

Jam satis est. vixit satis ille, & vixit abundè,
Mors cujus meruit Cæsaris esse dolor.
Nec qvisqvam immaturus obit, tam nobile funus
Qvi jacet, hic cui stat exseqvialis honos.
Sed vixit sibi sat noster, sibi vixit abundè
Curtius & laudi post sua fata suæ:
Non illis etiam, cupidis qvibus usq; sui sat
Viveret haut ullum temporis ad spatium,
Qvos desiderii æterno nunc vulnere inanis
Urit, inoblitis cura sedens animis.
Atq; mori non dignus erat, vitâ hactenus actâ
Vitæ dehinc meritus munera perpetuæ,
Si per fata foret, dignis sua præmia solvi,
Nec meritorum Orco gratia staret iners.
Sic tamen, utcunq; ereptus, non omnis ab orbe
Raptus, adhuc nobis haut moriturus adest.
Vivus adest, superestq; sibi semperq; superstes
Irrita Parcarum despicit imperia.
Fama Viri subnixa alis radiantibus auro
Et terras & lata æqvora pervolitat.
Et tellure levata ipsi contermina cœlo
Magnum illud CURTI *nomine inane replet.*
Inqve-fatigato mundum clangore fatigans
Pennarum, CURTI *nil sinit esse rude: (ubiq;*
Nec qvicqvam sinet esse unqvam immemor: omnia
Qvem docet, haut porrò dedidicisse docens.

Hæc

Hæc ita. Jam desiderio non sit modus illi?
Est modus. at totum qvis tamen excutiat?
Ut minus atq; minus fiat, Wackere, qvid optem?
Consilium aut qvod te meq; aliosq; juvet?
De te videris ipse: ego meq; aliosq; juvari
Posse per unum unâ te ratione putem.
Dii faciant, qvicqvid Mors præfestina dierum
Eripuit justum Curtiadæ ante diem:
Omne tuis addant annis mage candida fata:
Et tua de Curti stamina staminibus
Aucta alto longum de vellere lenta sororum
Netricum ignavo pollice dextra trahat.
Dii primum hoc: magnus faciat dein Cæsar, ut in te,
Qvi periitq; sibi, qvi periitq; aliis,
Curtiaden, qvo non qveat ipse aliiq; carere,
Restituatq; sibi restituatq; aliis.
Pérqve gradus illuc, qvo cœpit, deinde favore
Te efferat, unde alter derutus occubuit.
Fallor, an in te sit redivivus Curtius, ex te
Damna obitus restaurabit acerba sui?
Fallor ego? qvin nec periisse videbitur, inq;
Wackero ipse orbi Curtius usq; aderit.

AD DANIELEM RINDFLEISCH BUCRETIUM DE OBITU FRIDERICI GROTI.

IV.

Vt nihil ergo aliqvâ firmum mortalibus! ut nil
Sinceri in vitæ hoc turbine gaudii inest!
At, nil gaudii, ego qveror? há, majora qverendum:
Nil jam ab sinceri vita doloris habet!
Dum graviore dolor gravior comitante dolore
Fertq; fugatq; dolorem usq; novum usq; novum:
Nec submersum animum unqvam alto Oceano cu-
In curas patitur rursum animare alias. (rarum
Sic ego, sic te eheu modó, Bucreti optime, qvassum
Indomitos mœrorum adspicio ad scopulos.
Sic eheu non fluctu uno, flatuq; nec uno
Mens tua in ancipiti gurgite fracta natat.
Dii qvænam aut unde hæc turba insperata malorũ
Agmine tam subito támqve valente ruens?
O unum illum utinam te fata dolere dolorem
Sivissent: nimio hic sat gravis unus erat!
Dum patris hei pridem functi fatalia tecum
Immiti peragis tempora mœstitiâ:
Solemniqve pié caris de more parentas
Manibus, in gemitu totus & in lacrumis.

Qvem

Qvem puero qvondam externis jam tũ tibi in oris,
Ipſum etiam extra ipſam (triſte nimis)patriam,
Mutuo & ore procul, procul amplexuq; ſupremo,
Scæva venenato Mors necuit jaculo.
Cujus ego miſerando abitu perculſus & ipſe
Tecum unà acri animum omnem excedo cordolio.
Nec minus ignotum haut notus qvoq; diligo,qvã ſi
Illi gnatus ego, mî pater ille foret.
Et patrẽ ipsũ eqvidẽ haut temeré mihi dixero,frater
Prorſum in germanum tu mihi qvando modũ es.
Nunc tamen ut digno virtutes carmine pangam,
Qvarum in eo claro lumine fulſit honos:
Non operæ eſt : neq; vis ſinit hæc mœroris acerbi.
Olim erit id proprii forté laboris opus :
Cúm Bucretiadum antiqvam altâ ab origine gentẽ
Miro in te inq; tuos motus amore canam.
Nunc ſumſi id mihi, te ſolatii ut indigus ipſius
Sortis in hac tantâ ſoler amaritie.
Qva luctum cumulans luctu, ipſo in tempore luctus
Annui, iniqvam in te rurſum acuit Lacheſin.
Heu Lacheſin nimium facilem parére, tibi qvæ
Tam carum haut verita eſt eripuiſſe caput!
Carum inqvam affinem: qvem rapto á patre paren-
Alterum,& afflictæ ſpem columenq; rei, (tem
Sic vero coluiſti animi obſervantis amore,
Sicq; amiſſum ullo nunc ſine more doles:

Ejus

Ejus ut interitu interitum & tibi protenus optans
Ulterius lucem posse videre neges.
Ah Bucreti! ergône animum mentemq; animi ipsã
Tam graviter plaga hæc mascula stravit humi?
Ah Bucreti! ah surge iterum: & solatia qvando
Non potiora tibi ferre alia ulla qveo;
Adspice me, èqve meo relevamen sume dolore,
Totus dum miseras tecum abeo in lacrumas.
Adspice qvin luctus sociam, suspiria multo
Ægrè ducentem cum gemitu patriam.
Adspice mœrentes cives, tristémqve Senatum,
Unius ille unus qveîs dolor est obitus.
Adspice qvin patriæ ipsa etiam ardua mœnia, prono
Mæstiter ut desolata gemunt capite!
Qvæ Grotii auspicio prius astrato æmula Olympo,
Artificé & textis æmula Dædaleis,
Surgere vix dum cœpta, gravi eiusdem icta ruinâ,
Nutanti ad terram nunc propé mole ruunt.
Et ruèrent, nisi fama viri hoc fundamine nixa
Svaderet firmo stare perenné loco.
Ergo immota, licet non siverit Eumenidum ira
Tanto operi supremam imposuisse manum,
Stabunt, & meritum artificis, nomenq; loqventur,
Notum Urbis donec nomen erit populis.
Stabunt, atq; adeó illi hoc nobile Mausolæum
Ad famam æternæ posteritatis erit.

Qvo

Qvo tamen absq; aliis vivet quoq; laudibus, ullo
Annorum ignaris carpier á senio.
Namq; hodié si etiam Lysippi fama superstes,
Siq; Polycleti gloria dia manet:
Secula qvæ Grotium taceant, qvo Phidiam in uno
Vivere mirati Praxitelenq; sumus?
Testes tam egregiæ monumenta illustria dextræ
Plurima, nulla potest qvæ unqvam abolere dies.
Siq; ævum hoc tetigit Zeuxis, laudemq; si apud nos
Parrhasii retinet ingeniosa manus:
Qvænam ætas Grotium, nostræ illum ætatis Apellẽ,
Illum Naturæ vultibus arte parem,
Ignorare qveat, non miretur q; colore
Spirantes vivo vivam animam tabulas?
Qveis ille urbẽ omnẽ, qveis delubra incluta summi
Numinis, augusto sic decorata modo
Excoluit, Naturæ ut Bresla Deiq; Theatrum
Hinc immortali nobilitate cluat.
Nã qvid ego memorẽ illud opus, qvod terra stupescit
Ultima, qvo nil jam pulcrius orbis habet?
Suggestum, aj[illegible] illud sacratâ in Numinis æde,
Mirificis sculptum hinc indeq; imaginibus:
Marmore qvod fosso primum ipso auctore, Seboti
Fæcundo é montis äërii latere:
Marmore sub viridi tralucentiq; perenné
Duraturum artis constituit monumen.

Qvid

Qvid celebrare alia occipiam, clara omnigeno ævo
Qvæ cum ipſo memori fama ſonore canet?
Tu modó, Bucreti, his animum ſ[illegible]lare jacentem,
Amiſſi ut levius triſtia fata feras.
Qvem meritó ha[illegible] eqvidem luges, cúm incommoda
Vitæ adeó per[illegible]t laudibus eximiis. (mortis
Ecce autem hunc tibi dum ſtudeo lenire dolorem,
Præcipiti incurſat te impete rurſum alius.
Affinis ſubitó heu natum qvoq; fata ſecutum
Iſſe ait Orcinas nuntius ad tenebras.
O potius nunqvam has penetraſſet nuntius oras,
Nulla foretq; oculis littera viſa tuis:
Qvám novus iſte, ex ſe levior, crudele prioris
Ulcus acerbifico velleret ungve dolor!
Ne labare tamen, pectusq; exſangve viciſſim
Cordivoro miſeré conficias gemitu.
Nam felix ſané ille puer, qvem atra Atropos ævo
Subtraxit variis in viridante malis.
Nec qvia floridulum vernæ virtutis honorem
Creſcere ad Auctumnum Morta ferox vetuit,
Cenſeri miſerum fas eſt: puerilibus annis
Nam bené qvi vixit, vixit & ille diu.
At modó qvod fulmen te icit denûo? hei mihi, nunc
Nunc vereor firmo ſtare poteſſe gradu! (te
Nã qvoq; & ipſe URSINI *ad nomen corruo, dũ fert*
Ad communem etiam hunc rumor abiſſe locum.

T *O Divi*

O Divi ô! nunqvam ſat horum funerum? opimis
Nunqvam Orcum explebit Perſephone ſpoliis?
Ergo etiam lubitum ferro illum haurire cruento,
Major in Aonio qvo grege nemo fuit?
Heu fuit! Aſtrææ qvo haut donis clarior alter,
Nec Suadæ potior laude qvis aut Sophiæ!
Sed me qvó ſtimulans dolor abripit? heicce manen-
Mœrorem ultró auctũ ne tibi forſit eam. (dũ eſt,
Nec locus hic, verſu arcto Urſini *ſcribere laudes,*
Qvæ lætâ debent non niſi voce cani.
Nunc & mœſtus ego, & mœſto tibi carmine amarã,
Hoc tantum, ſtudeo tollere mœſtitiem.
Fors erit haut longé, ut junctim Urſinumq́; *tuumq́;*
Scharffium, & Europæ Dudithium olim oculũ:
Qvos etiam heroes tibi amicos invida terris
Non pridem ad nigras fata tulére domos:
U*nanimis ſtudio tollamus ad æthera Muſæ,*
U*nanimi tecum hos ut qvoq; mente colo:*
Cúm primúm é luctu, curis ponentibus, ad te
Qvibis & ad Muſæ ſacra redire tuæ.
Qvod tibi uti citó ſit; non jam ô mi oculiſſime, duco
Ad mentem, multâ te ratione, Bonam:
Saltem illud meminiſſe tuum te, VINCO FERENDO,
Et cupio, imperium qvodq́; meum eſt, jubeo.
Vinces cuncta ſacul, neq; Sors, neq; Mors te adeó ulla
Incurſu poterit ſuppeditare ſuo.

Ferto

Ferto igitur propriis ut te miremur in armis
Pugnantem auspiciis bella secunda tuis.
Virtutiq; tuæ ut gratans Epinicia cantet,
Virtutem puro pectore qvisqvis amat:
Et dicat: Novus en bellator inermibus armis,
Victus scit forti Victor abire fugâ.

Manibus

PETRI MEMMI.

V.

IN te anima Asclepi migraverat, inclute Memmi,
Gentium & hoc passim nomine clarus eras.
Nec modò vita eadem tibi & ars, divinaq; facta:
Fata etiam imò eheu, ipsa fuêre eadem!
Ille Stygis censum assiduè carpebat, ad umbras
Dum vetat ægrorum corpora posse rapi.
Tu qvoq; Parcarum infregisti tristia jura,
Jam vacuus foret ut fiscus Avernicolis.
Ille etiam Hippolyti distractum hinc indeq; corpus,
Atq; animam stygiis jam fluitantem in aqvis,
Ad deserta iterum revocabat munia vitæ,
Certam ipso rapiens prædam Erebi è barathro.
Tu quoq; depositos non secius, ac Libitinæ
Jam modò crudeli Persephonæq; sacros,
Rursum vitali donasti luce, & ovantes
Fraudasti optato sæpe Deas spolio.

Illum autem ipsum odio hinc atq; irâ percita acerbâ
Mors omni Stygiâ adjuta necavit ope.
Et te etiã nunc, heu dolor, heu Memmi optime! Par-
Invidiæ fixæ cor rabidum stimulis, (cæ
Impete præcipiti invasêre, tuaq; triumfant
Tartareæ Furiæ, tartaraq; ipsa nece.
Ah Memmi! At veluti jam Asclepi es fata secutus,
Sic te etiam Asclepi jure seqvetur honos.
Ille obitâ morte infernis retractus ab umbris
Adscriptus Superûm mox fuit in numerum.
Te Dii etiam tristi haut patientur claudier Orco,
Pro meritis numen sed qvoq; habere dabunt.
Jamq; adeó ô Memmi, á populis tua busta coluntur,
Qvondam ara Asclepi ut culta fuit populis.
Ha rectè! in te anima Asclepi migraverat olim,
Vivus & hoc laté nomine clarus eras:
Nunc etiam in te honor Asclepi migravit, ubiq;
Functus & hoc clarum numine nomen habes.

LAURENTII LUDOVICI MANIBUS.

VI.

ERgóne præstantes & caros post tot amicos,
Invida diversis qvos mihi fata locis
Tempore diverso plures rapuêre per annos,
Ceu jurata meos perpetuó in gemitus:

Te

Te quoq; LAURENTI deinceps LUDOVICE carendũ
Communemq; isti non rediture locum? (*est,*
Tot per lustra piè cum quo pius est mihi pridem
Cultus amor, sanctè sanctaq; culta fides.
Non tamen irascor fatis, melioraq; vitæ
Auspicia, ad quæ nunc mors tibi fecit iter,
Non sanè invideo: vitæ melioris: ubi nunc
Omnibus á curis atq; labore quies.
Præsertim, qui vitam actam heic cum laude, beatè
Clauseris optato fine, vocante Deo.
Sed sortem deploro meam, mea tristia vitæ
Tempora, & has orbas te pereunte vices:
Cúm te, te tam dulce caput, tam pectus amicum
Amisi, ô animæ pars malè rapta meæ!
Si tamen amissum fas illum credere, saltem
Præmissum nobis quem dubitare nefas.
Namq; erit illa, erit illa dies, cúm protinus ipse
Te quoq; communem consequar ad patriam.
Communem ad patriam, patrem, patrimonium, &
Omnibus omnia quod sufficienter erit. (*unum id*
Intereá divina tuum benedictio nomen
Servandum memori consecret in tabulâ:
Quod jam nunc vitæ in Libro scriptum esse, perennè
Mansurum, é nobis quis dubitare velit?
Non ego: cujus habe veteris constantis amici
Hoc quoq; supremi muneris officium:

Elogiumq́ adeó istud acerbo in funere, qvod non
Tam nostræ, etsi etiam, debeo amicitiæ:
QvámVirtuti & Doctrinæ Meritisq́, fuisse
Maxima qvæ notum est, ô LUDOVICE, tuis.
Atq́ meum hoc verum tibi & ad te sit modó verbū,
Qvo te, qvóq́ animæ corpus inane tuæ,
Amplius haut te isto compellaturus in orbe,
Postremo mœsti carminis alloqvio
Proseqvor ille etiam fidus post funus amicus:
Sed mage qvi qvondam fidus amicus ero,
Tunc cúm cœlesti rursum jungemur in aulâ,
Inq́ domo, qvâ stat mansio multa piis:
QvamPatrem nobis apud æternum ipse paravit
Filius æterni Christus imago Patris.
Te laudans, verbis ut laudem & more Sophorum,
Si qvem alium, dignum te voco jure virum:
Optimus á cunctis qvi & qvi doctissimus idem
Doctis atq́ bonis concelebrêre viris.
Te laudans, verbis ut laudem & more Piorum
Si qvem alium, dignum te voco jure virum:
Qvi veri, qvi pacis amans, studiosius & idem
Inter ubiq́ pios concelebrêre viros.
Deniqve te laudans ut laudem munere ab ipso,
Munere qvi ludi nempe magister eras.
Dico fuisse Epicharmum, ὃς παισὶν χρήσιμα εἶπεν.
Et titulo laus est hæc satis ampla tuo.

Omnia

Omnia quæ de te ſincero pectore dicta,
Non verbis tantúm ſunt tibi dicta meis:
Sed cunctorum eadem eſt hominum ſententia mecũ,
Qvotqvot eras doctis notus eraſq; bonis.
Et multis bené notus eras, qvi ſemper amicé
Te coluêre domi, te coluêre foris.
Nec pauci externâ procul & regione fuerunt
Mirati ingenii dona animiq; tui.
Verúm jam LUDOVICE *vale; jamq; incipe verã*
Divini oracli percipere uſq; fidem,
De doctorum illa cœlo mercede repoſtâ,
Juſtitiæ multos qvi docuêre viam.
Salve iterum ô iterumq; vale cariſſime: felix
Nunc anima, ô iterum ſalve iterumq; vale:
Usqve in vivorum dum nos regione beatâ
Conſorti jungat rurſus amicitiâ,
Ille, in qvo certé conjuncti viximus ambo
In valle hac umbræ, mortis & in tenebris.
At quando illud erit tandẽ? qvando obſecro? cúm tu
Tu venies JESU *tempore* CHRISTE *tuo.*
JESU *vera ſalus, & ſpes, & vita tuorum;*
Vita mea, & mea ſpes, & mea Chriſte ſalus.
Chriſte veni, bone Chriſte vide, Chriſte optime vin-
Si venias, videas, victor es. Eja veni. (ce:
Eja vide, victorq; tuos tibi junge triumſans:
Voto uno hoc claudunt omnia vota tui.

HENRICI ACIDALII PARENTIS optimi Manibus.

VII.

Salvete ô cari cineres atq; ossa parentis!
Salve ô Elysiis umbra paterna jugis!
En ego progenies tua te, pater optime, multis
Ad tua busta jacens invoco cum lacrumis.
Audin' me, an superest etiam tibi sensus? an ægrum,
Sic manes natum sollicitare tuos?
Há pater, há pridem ad tumulũ istum debui adesse,
Et dare non lætas munus in inferias.
Jam sextum æstivo ferventes sole calores
Auctumni egelidi mitior aura fugat:
Nec dum postremo macto eheu munere mortis
Rité parentavit nostra Camœna tibi.
Da veniam nato pater, impietate nec istâ
Usq; offensa mihi sit gravis umbra tua.
Nondum ea vis Musæ nostræ, ut te digna loqvatur,
Nec, qvem sperabas me fore, is esse qveo.
Qvo potero tamen, ut primúm mihi posse videbor,
Solemni ipse tibi carmine justa feram.
Efficiamq; tuo ut ne turpis aranea qvondam
Deserto cassum in nomine texat opus.
Interea salve atq; vale Pater: ô puero mî
Rapte pater salve perpetuumq; vale.

IN

IN JOHANNIS GROTI Album.

VIII.

Tu quoq; pulle sacer Phœbi Aonidumq; sororum,
Janipor; ô Veneris facte manu, & Charitum
Fote sinu, dapibusq; almis nutrite Minervæ,
Nectar: & Hebæi ô usq; madens cyathi:
Tu quoq; in aureolo hoc mea nomina stare libello,
Spectari & dextræ vis simulacra meæ?
Scilicet inter eos & mî locus, incluta Phœbi
Ob studia in magno quos precio orbis habet:
Quosq; ob virtutem pariter famamq; superbam
Suspicis, & sancto corde perenné colis.
Parce puer; non sum tanti: neq; fas mihi sedem
Heroum affectare hoc aliqvam in numero.
Næ malé Bucreti imposuit censura tibi, olim
Me quoq; qui ratus est esse futurum aliqvem.
Falleris ô Jane! & Bucreti, ô te quoq; nostri
Fallit amor, verum ut non videt ullus amor!
Non tibi ego heic temeré sat credulus, ipse mihi ipsi
Fidere tantillum qvi trepidus nequeo.
Tu quoq; crede minus, qvàm te Bucretium acumē
Jane, jubet: dehinc me poscito & alta minus.
Ecce tamen mî instas, nec dictis proficio hilum,
Et parére tuo cogis amore tibi.

Há trepido tantum ad facinus! sed si usq; refrager,
Qvid juvet? & mentem en hanc qvoq; vincit amor.
Si pecco, luet ille, ita qvi peccare coegit,
Et tibi & auctori caussa tuenda tuo.
Jamq; adeó lubet in meritã ambo inducere culpam,
Erroris pœnam ut solvat uterq; sui.
Dextra age, scribito Acidaliũm, imple hoc nomine chartam,
Nec pudor Heroum sit tetigisse latus.
Perge, nimis bellé nimium ulciscemur amorem :
Tuq; anime, huc grandes suggere jam numeros.
Sed qvid ago? Retrahe ô mens impetum : & hinc manus; hinc te
De tabulâ : sat jam perdita charta tibi.
Sat qvoq; jam pœniti illi : atq; erroris utrumq;
Pœnitet, ad solas dum intremuêre minas.
Nec minæ eæ solæ tamen. impletum omne reapse est
Anté, reapse ipsum qvám facinus facimus.
En legimur libro hoc : & dum simulo illa negare,
Qvæ poscis; dudum, Jane, negata dedi.

VALEN-

VALENTIS ACIDALI
ELEGIARUM LIB. III.

AD DANIELEM RINDFLEISCH BUCRETIUM MEUM.

I.

Sæpé mihi hoc dicis: non tantúm in pectore nostro,
Verúm ipsis quoq; tu mî usq; habitas oculis.
Credo tibi, Bucreti: at magnũ hoc? nonne ita & ipse
Vulgus ait, caros ferre suos oculis?
Non ita, non, subdis: cum vulgo non loqvor, ut nec
Sentio cum vulgo, nec te, uti vulgus, amo.
Ne mihi sint oculi, nisi in his ego te fero ocellis!
Tu modó ad hos oculos flecte tuos oculos,
Ipsum in iis ut te videas habitare, meisq;
Ipse fidem propriis tandem habeas oculis.
Juppiter, & vos Dii, qvantum est! qvidnã heic modó
Anne ego sat video, tam nova qvi video? (cerno?
En BucretI in luminibus me conspicio, atq; en
Alter BucretI é pupulâ Acidalius
Prospicit, obtutuq; in me hæret fixus, in illo ut
Ipsus ego teneo fixam oculorum aciem.
Mirum, ô Dii mirũ! sed enim ô mi oculissime, credo,
Aut vestri illi oculi me eripuêre mihi:
Aut dum me assiduo speciunt, capti mei amore,
Conceptum inde ipsum me peperêre sibi.

AD

AD MAGNIFICUM GEORGIUM DHYRIUM DE GENTILITIIS insignibus Conjugis ipsius.

II.

DHYRI, nobilium veteri de stirpe parentum,
Virtutum & proprio nobilis á merito:
Cúm tua juncta tibi est, fatis ducentibus, uxor:
(Fatorum ductu nam tua juncta tibi est.)
Auspicio tibi juncta bono est atq; omine sancto,
Cui sua perpetuó est certa futura fides.
Aspice qvæ patriæ conjux insignia gentis
Inde usq; á priscis tradita gestat avis.
Tres panes, tres pisciculos, qvos dixeris assos,
Et totidem plumas, cuncta ibi trina vides.
Hæc claris manifesta notis arcanius illud
Vi tacitâ clámant, qvod loqvar ipse, tibi.
Qvi Deus innumerum pavit bené panibus olim
Parvis, & paucis pisciculis populum:
Ille Deus sic teq;, illamq;, & pignora vestra,
Et vestri post vos seminis usq; genus
Pascet aletq; bené: & facilis compendia victus,
Et qveiscunq; opus est, suppeditabit opes.
Atq; idem ille Deus, saturæ post munera vitæ
Pennarum vobis remigium inde dabit.

In

In cœlum é terris qvó subvolitetis ad ipsum,
Victuri vitam jam sine fine novam.
Ipse ubi vos sese ipso æterna in secula pascet,
Ambrosia ipse suis, nectar & ipse suis.

AD JOHANNEM CASELIUM.

III.

IN te, qvodcunq; est Venerum, qvodcunq; lepórum,
Qvicqvid ubiq; joci, qvicqvid ubiq; salis:
In te, doctrinæ qvicqvid potioris & artis,
Virtutum & veri qvicqvid ubiq; boni:
Omne habet in te uno, ac sedem sibi, magne Caseli,
In corde, in cerebro fixit, & ore tuo.
Hinc qvibus & virtus, doctrina, salesq;, leporq;
Cordi, ad te certatim undiq; & usq; ruunt.
A te illis Virtus, doctrina, salesq;, leporq;
Qværitur, & votis plus datur & melius.
Hinc flos siderei ille chori; Patrima virago,
Lathoides, Peitho, Pierides, Charites,
Oblitæ sua regna, tuo comites lateri hærent
Perpetuó, & tecum non nisi vivere amant.
Te sectantur, amántqve, placent & te sibi in uno:
In te & qvæq; sui conspicit effigiem.
Ut te adeó aut Divæ hæ genuisse Deusq;, vel ipsas
Tu videare Deas & genuisse Deum.
O superet caput hoc; caussæ & Germane tibi nil
Cur tantillúm aliis gentibus invideas!

AD

Ad Magnificum Georgium Dhyrium de gentilitiis insignibus Conjugis ipsius.

II.

Dhyri, nobilium veteri de stirpe parentum,
Virtutum & proprio nobilis á merito:
Cúm tua juncta tibi est, fatis ducentibus, uxor:
(Fatorum ductu nam tua juncta tibi est.)
Auspicio tibi juncta bono est atq; omine sancto,
Cui sua perpetuó est certa futura fides.
Aspice qvæ patriæ conjux insignia gentis
Inde usq; á priscis tradita gestat avis.
Tres panes, tres pisciculos, qvos dixeris assos,
Et totidem plumas, cuncta ibi trina vides.
Hæc claris manifesta notis arcanius illud
Vi tacitâ clamant, qvod loqvar ipse, tibi.
Qvi Deus innumerum pavit bené panibus olim
Parvis, & paucis pisciculis populum:
Ille Deus sic teq;, illamq;, & pignora vestra,
Et vestri post vos seminis usq; genus
Pascet aletq; bené: & facilis compendia victus,
Et qveiscunq; opus est, suppeditabit opes.
Atq; idem ille Deus, saturæ post munera vitæ
Pennarum vobis remigium inde dabit.

In cœlum é terris qvó subvolitetis ad ipsum,
Victuri vitam jam sine fine novam.
Ipse ubi vos sese ipso æterna in secula pascet,
Ambrosia ipse suis, nectar & ipse suis.

AD JOHANNEM CASELIUM.

III.

In te, qvodcunq; est Venerum, qvodcunq; lepórum,
Qvicqvid ubiq; joci, qvicqvid ubiq; salis:
In te, doctrinæ qvicqvid potioris & artis,
Virtutum & veri qvicqvid ubiq; boni:
Omne habet in te uno, ac sedem sibi, magne Caseli,
In corde, in cerebro fixit, & ore tuo.
Hinc qvibus & virtus, doctrina, salesq;, leporq;
Cordi, ad te certatim undiq; & usq; ruunt.
A te illis Virtus, doctrina, salesq;, leporq;
Qværitur, & votis plus datur & melius.
Hinc flos siderei ille chori; Patrima virago,
Lathoides, Peitho, Pierides, Charites,
Oblitæ sua regna, tuo comites lateri hærent
Perpetuó, & tecum non nisi vivere amant.
Te sectantur, amántqve, placent & te sibi in uno:
In te & qvæq; sui conspicit effigiem.
Ut te adeó aut Divæ hæ genuisse Deusq;, vel ipsas
Tu videare Deas & genuisse Deum.
O superet caput hoc; caussæ & Germane tibi nil
Cur tantillúm aliis gentibus invideas!

AD HENRICUM BRUCÆUM.

IV.

Assiduum cum Morte tibi, Brucæe, duellum:
Tu servare homines, perdere at illa cupit.
Stant á parte tuâ, medicæ pater artis, Hygéa,
Cheiron, AsclepI dives opisq; manus.
Mors contrá Morborum acie & turbantis Averni
Horrendo hinc atq; hinc cincta satellitio est.
Illa suum ferrum in mortalia corpora stringit;
Tu reprimis, subitó aut vulnera facta ligas.
Sicq; manu validâ morborum atra agmina sternis,
Ipsa etiam ut victas det tibi pæné manus.
Et certé timet illa sibi, tot tantaq; cúm jam
Victor honoratus parta tropæa habeas.
Sed timor hic audaci illam in te concitat irâ,
Præcipuâ caput ut nunc petat arte tuum.
Hactenus usa tamen cassis est viribus: at si
Tandem etiam victorem opprimat illa suum:
Qvod nulli est vitare homini: qvid tum tibi sor-
Hospitium tuæ ubi, te superato, animæ? (tis?
Non illam Elysios Stygium per flumen ad agros
Transvehet annosus navita hiante rate.
Sed procul arcebunt etiam post fata suum hostem
Mors, Plutoq;, cohorsq; omnis Avernicolûm.
Ne diffide tamen: nabis sine nave Charontis
Ad communem, etiam nullo Acheronte, locum.

Privus

Privus erit flu vius, qvi te plorantium ademptum
Undosis fiet tunc hominum é lacrumis.
Trabs qvoq; priva tibi. Nam qvi vice sit Trabis, ecce
Arcum substernet ipsius Apollo suum.
Qvem dein arcus habet, Nervo é stridente Ruden-
Conficies celeri rité magisterio. (tes
Asclepl é Baculo Malus formabitur altus,
Cheironis Remum longa Sagitta dabit.
Ipsa Hygiéa Peplum proprium feret, unde parentur
Carbasa veliferis flatu agitanda animis.
At baculo Asclepl qvi se implicat arduus Angvis,
Spirabit tumido sibila pro Boreâ.
Qvin tibi Divûm etiam Suspiria densa, feratur
Cymba tua ut celeri flamine, Ventus erunt.
Sicq; ubi permensus pelagum Plutonia ad antra
Veneris, obscuras nocte silente domos;
Tange manu citharam, qvam Phœbus in hos dabit
Nemoq; te ingressu tum prohibere volet. (usus,
Ipsæ sed Furiæ, Orpheo olim ut carmine, mites
Te propriâ ducent ad loca amœna manu.
Há tum plaude tibi, & victrice ex Morte triumsa,
Mortuus en iterum vincere qvam potis es.

AD NATHANEM CHYTRÆUM.

V.

ERrantem Roseos dum te, Chytræ, per hortos,
Et tua cantantem dulcisono ore mele :

A tergoq;

A tergoq́; ducem Divas te hinc inde seqventes
Adspicit obliqvo lumine Varniades :
Versus ad Aonides Phœbus; qvid jam mea turba ?
Qvis novus hic hortus, qvis novus hic Helicon ?
Qvæ Musæ illæ aliæ, qvis & unde ille alter Apollo ?
Hei nobis, Divæ, noster honos periit !
Noster honos periit, periit Parnassis, & undæ
Qvæcunq; Aoniis fontibus est, periit !
Et Varnum, latices ut pleno gurgite volvit,
Pro Clariis vatum qvos modò turba bibit.
Qvin fugimus junctim. Sed enim fuga qvà patet,
Haut usq; ulterius fama secuta fuget ? (ut nos
Ipse ego me cœlo includam : vos ite Sorores,
Et sociàs citò vos jungite Varniasin.
Ite, pudor neq; Chytræum (nam is postmodò Phœ-
Et laurum nostram qvam gerit ille, seqvi. (bus)
Vix ea, cum subito æthereum impete fertur ad axẽ:
Ad te Pieridum turba relicta fugit.
Nunc alios jactet Vates Germania : Phœbus
Cui cedit, sit huic qvem reperire parem ?

AD JANUM GRUTERUM.

VI.

Cùm tua primùm annò, Grutere, Pericla viderem,
Obstupui ad titulum totus & obrigui.
Mox rumpens vocẽ ab nova, dixi, unde ista pericla ?
Cujus, adhuc taciti, hæc nuncia amara mali ?

Dein

Dein ubi prensa manu cœpissem inhiare, melosq́;
Legissem unum avidis alterum itemq́; oculis:
Redditus ipse mihi: rursum, ô jucunda pericla!
Omnis & ô, dixi, plena pericla boni!
His utinam liceat mihi mactari usq́; periclis,
Qvàm grata illa inter vita pericla fluat!
Nec calor ille abiit, sed lucibus inde coëgit
Continuis noctes addere pervigiles:
Immemor ut somni librum ad calcem á capite ipso
Perlegerem, & cupido cuncta vorarem animo.
Tum veró plenus Phœbeæ illâ ambrosiæ aurâ,
Ebrius Aonii nectaris & latice:
Sensi, res qvod erat, Grutere: ac carmina non hæc,
Non, inqvam, humani sunt opus ingenii.
Aut præeunte isthæc Gruterus Apolline cantat,
Ipso in Grutero aut ipsus Apollo canit.
Sed clamat titulus, Phœbum ipsum in te esse, pericla
Dum facit, an credi tu qvoq; Apollo qveas.

Ad Charontem
DE SALOMONE ALBERTO.

QVid cariose Senex, tam crebris astra qverelis
Sollicitas, mœsto te ipse vorans gemitu?
Scilicet inferni cruciant te damna popelli,
Nunc tam rara tuam qvod premit umbra ratē:
Fiscus & exhaustus, pauco veniente triente,
Inq́; diem vacuus fit magis inq́; diem.

Ipsa & trabs etiam tua iners in margine pigro
Otia agens, rimis solvitur & carie.
Scilicet est ita : nec frustra anxia pectora curis
Exerces, miseris & querula ora sonis.
At bone, fige modum lamentis, portitor : olim
In melius vertet res tua, resq; Stygis.
Scin' vobis qvid fraudi hodié ? mortalibus ægris
Salva salutiferi dum Salomonis erit
Dextera, opis medicæ miré ingeniosa magistra;
Nulla anima Orcinis præda vehetur aqvis.
Ipsum fata tuos ubi cogent qværere remos :
Longé hominum, longé vota qvod esse volunt.
Tum deinde umbrarum ad tua littora perpetuó in-
Turba ruet, veteri vix capienda scaphæ. (gens
Interea tacito Libitina qviete ferétro
Dormiat, officio ut póst satis esse qveat.
Tu qvoq; tu puppim laceram compinge, fatiscat
Ne in medio nimio pondere victa lacu.
Jamq; opis ille tuæ cúm venerit indigus, Orci
Aucturus, modó qvem deminuit, numerum;
Plaude manu tibi utrâq;, & totâ cum Styge opimis
Usq; adeó æternúm lætus ova spoliis.
Parce tamen mercede illum portare per undas,
Poscere ab hoc sueta ô naulia parce Charon.
Há qvanto postillâ alii cum fœnore qvanta
Nomine persolvent illius æra tibi.

AD

AD JACOBUM HORSTIUM.

VIII.

TAnta tuas, Horsti semper ruit undiq; ad ædes,
A te quæ medicam turba reqvirit opem:
Otia nulla tibi ut superent, doctûm aurea scripta
Qvêis legere, aut alios lecta docere qveas.
Et tamen assiduâ multi sub mole negoti
Sic tibi tete ipsum subtrahis assiduo:
Ut doceasq; legasq; in Cois illaq; scriptis
Vestiges, doctos qvæ latuére alios.
Credibile est ipsum Hippocratem freta trans Acheron-
Gaudere, hoc tandem & ritè placere sibi (tis
Ordine, tu Dius qvem in lemmasin esse videsq;
- Primus & arguto haut invidus ore doces.
Credibile est, jam nũc cupidè expectare qvoq; illum,
Ad Stygа te corám cernere uti liceat.
Há, qvám illic læto exciperet te pectore! cunctis
Manibus há tu unus qvanto in honore fores!
At tu heic vive diu, nec honor Stygius tibi tanti,
Ut sit inhumanas visere amor tenebras.
En honor in Superis potior: nam qvis pote major
Hoc, Superos ope non posse carere tuâ.

AD MARTINUM BIERMANNUM.

IX.

NUper Atlandiades jussu Jovis infera ad Orci
Regna means, campos visit ad Elysios.

Utq; pedem primum in valles penetrasset amœnas,
Queis sanctæ ducunt otia longa animæ:
Ecce inter sese discordes cernere rixas
Agmina manium ibi litigiosa videt.
Jam vaga fama etenim de te, Biermanne, silentum
Attigerat viduas luce perenné domos.
Hinc Medici, Cousq; senex & Pergami alumnus,
Te medicûm cupiunt asserere in numerum.
Inde Sophi, Plato, Aristoteles, & Socraticum cor
Ad classem pugnant te retulisse suam.
Tum reliquæ turbant umbræ: pars partibus istis,
Pars illis certâ seditione favent.
Iamq; furor veget: at proles Cyllenia, judex
Ambiguæ capitur litis ad arbitrium.
Ille, alté extensâ medio super agmine virgâ:
Quæ nova pacatis rixa, ait, orta locis?
O potius taciti residete, quiescite Manes!
Frustrá est de tanto litem agitare viro.
Quin gaudete, diem jam vos obiisse supremum,
Orbi dum hoc hominis Dæmonium superest.
Nunc & honor vobis manet: at si vita maneret,
Nec vivis nec post fata maneret honos.

AD WISTOCHIUM, PATRIAM.

X.

SI mea quid posset doctum testudo sonare,
Tersis quod gratum se probet auriculis:

Non

Non ego Wistochium, ô dulcis mihi patria, sic te
Obscuro paterer delituisse loco.
Sed te sublimi mecum super astra volatu
Musæ pernicis remigio eveherem:
Nec foret ulla ullo tellus sub sidere, quæ dehinc
Urbibus in claris tè qvoq; non caneret.
At qvám me ingenio tenui produxeris, & qvám
Nullus honos nostræ, conscia mî es, citharæ.
Ut tamen insigni possis clarescere famâ,
Et residem ignotâ tollere verticem humo:
Sunt alii & porró tibi erunt, sintq́; ô precor! á qveis
Clara tibi famæ lux micuisse qveat.
Et jam certé aliqvem video tibi surgere Solem:
Hunc cole & hoc jam nunc auspice tolle caput.
En tibi Tuscarum, genii ingeniiq́; potentem
Dotibus, en doctâ nobilem ab arte virum.
Is dabit, ipsa meo cum haut sit te ut nomine jactes,
Nomine me jactem postmodó ut ipse tuo.

AD REINERUM REINECCIUM.

XI.

Reinecci, á puero Sophiæ qvem nectare Pallas,
Ætheriâ & Clejo nutriit ambrosiâ.
Reinecci, qvi magno animo, magnoq́; labore
Aggrederis nostri temporis historiam:
Qvæq́; diu priscis latuerunt abdita seclis,
Ad lucem é tenebris eruis, eq́; situ:

Gvelphiadumq́; Ducum repetitá ab origine primâ
Stemmata, & augustæ fortia facta manus
Perpetuo condis calamo, redivivaq́; famæ
Dehinc ullâ prohibes lumina nocte tegi.
Quas tibi pro tantoq́; animo tantoq́; labore,
Nocte dieq́; cui pervigil immoreris:
Quas ævum hoc grates referet? quæ digna repones
Præmiá? Non meritis ulla sat æqua tuis.
At satis ô habeas, nos te unum agnoscere secli
Hujus, & unanimi te canere ore oculum:
Per quem olim cernent nos nostraq́; gesta minores,
Quo sine nil nostri pôst sciat ulla dies.
Ceterá quæ tibi debentur, dabis ipse tibi ipsi,
Quo dare non quisquam quit potiora aliis.
Nam vitâ quidnam est potius, quã per tua scripta
Das pariter terris, principibus, populis:
Quei simul haut etiam, ter maxima præmia, eandẽ
Dent tibi, qui scriptis es sua vita tuis?

In Scitum
DANIELIS RINDFLEISCH BUCRETII MEI.

FERENDO VINCO.

Ancipitem tecum pugnat Sors callida pugnam,
Teq́; suo quoq; vult subjicere arbitrio.
Nil agit: obnixus tu contrá, nobile pectus
Et validas offers fortia ad arma manus.

Hac

Hæc ferit; haut tu illi cedis, sed comminus ictus
Excipiens scuti tegmine membra tegis.
Qvin etiam referis: sed enim iste imbellior ictus,
Qvando aliud nil, qvàm ferre, ferire tuum est.
Tu tamen hoc telo qvantumvis fretus inerti,
Sortis acuta facùl vincere tela potes.
In scutiq; tui descriptum margine scitum
Obtendis sortis, VINCO FERENDO, *oculis.*
Qvo magis irritata illa omni robore torqvet
Spicula, & usq; in te vi violente ruit.
Tu nihilo perstas minus, altæ rupis ad instar,
Nec fluctus qvam nec flabra Boréa movent.
Sed qvónam tandem dubiæ hæc certamina pugnæ?
Et sors victricem se hinc feriendo probat:
Et tu victorem te jactas inde ferendo
Bucreti: ergo utri palma beata manet?
Palma tua est: nam tu dum vincere, vincis ovasq;:
At Sors dum vincit vincitur & teritur.

AD GREGORIUM GUNTHERUM.

XIII.

Dulcacidus cui dictus amor, næ huic nomine vero
Dictus, & haut ulli tam bené notus amor.
En tu qvi mecum vix jam, Gunthere, fidelis
Aurea raptus eras sub juga amicitiæ:
Gunthere, ô melici mediciq; Dei inclutaproles,
O saltem in curas mî date amice meas.

En mihi continuó ereptus, procul exigis á me,
A te ævum ipse procul exigo nunc viduum.
Utq; mihi haut pridem tantillo tempore tecum
Esse, fuit dulci dulcius ambrosiâ:
Sic modó & ætatem dehinc á te forté remotum
Esse, mihi est tristi tristius helleboro.
O Superi, Superi: vestro sub nūmine sacra
Qui regitis juncti jura sodalitii:
Si qvæ jam puro sese ardent corcula amore,
Immeritó vobis sic cruciare lubet:
Perfidiâ & ficto qvi fallunt pectore amicos,
Qvæ meritó pœna iis, qvis cruciatus erit?

AD JOANNEM FINCKIUM URATISL.

XIV.

Et te Jane, tuæ lumen prænobile Breslæ,
Compellare rudes audeo per numeros.
Audeo. sed qvis tam audacem facit impetus, ut te
Tantum non verear sollicitare hominem?
Cogit amor, magnis stimulans mea pectora flammis,
Ignoto ignotus carus ut esse velim.
Unde mihi, qværis, tanti vis fervida amoris
Claustra sub incensi repserit ima animi?
Ne qvære. Aonidum qvis amator, te qvoq; qvi non
Uná amet, Aonidum qvi cluis unus amor?

Sed

Sed me etiam vis major agit, doctissime Fincki,
Nec modó me hoc uno fixit Amor jaculo.
En istud qvantó gravius? Bucretius ille
Cujus ab unâ animâ spiro trahoq; animam:
Ille tibi consangvineo conjunctus amore,
Me rapit & parili inflammat amore tui.
Nec tu devotum ignoti aversabere pectus:
Qvin spes est, mecum mutua ut & facias.
Aut si fors renues; dum adeó Bucretium amabis,
Cogére invitus me qvoq; amare simul.
Nam qvì illum sine me tibi amare sit, ipse ita totum
Qvem induit, ut totus usq; sit ipsius ego?
Sed minimé renues, utq; odisse haut potes illum,
Me qvoq; nec poteris, non nec amare voles.
O BucretI uno qvi sunt in pectore juncti
Tam bené, & unus eos qvàm bené junget amor!

AD JOANNEM AB HOE-CKELSHOVEN URATISL.

XV.

Non tibi visus ego, non tu mihi visus es unqvam,
Jane, novenarum maxime Virginum amor:
Et tamen invisum ipse ego te sic diligo, pauci ut
Præcipua intimi amant membra sodalitii.
Qvêi fieri hoc pote sit, Jane ô carissime? vel qvêi,
Sic ut amem, potius non fieri pote sit?

Te meus alter ego Bucretius ardet, habetq́,
Corde tuo penitus corq́ animumq́ suo:
Tu parili tuum amore ardes Bucretium, habesq́
Corde illius item cor animumq́ tuo.
Hinc quêi etiam ipse tui non flagrem totus amore,
Totum si volo Bucretium amare meum?
Tu quoq; ames me Bucret I tui amore necesse est,
Bucret I cúm habitem pectore totus ego.
Quin illius uti sum, sic tuus: illius ut tu
Contra jure eôdem cogeris esse meus.
Annuis? an qui sim quæris prius? há, tibi notus
Sum nimium, notus si satis ille tibi.
Annuis. ô Dii, quem similem huic vidistis amorem?
Ecce unam spirant corcula trina animam!

AD WOLFGANGUM ZEILEISEN.

XVI.

NEC *frustrá tibi cor de nobiliore metallo*
Effinxit sollers Iapetionides.
Nam Wolfgange, quid in vulgo marcescere, lenta
Et trahere in vanis otia delitiis?
Te genioq́ alacri & vi mentis vividæ ab usq;
Iis annis, aliquid quêis licitum est sapere:
Natali procul á nido, procul ore parentum,
Et cognatorum dulcibus alloquiis:

Externos

Externos juvit populos invisere, & orbis
Vestigare vago pervia regna pede.
Nimirum qvia te civem mundi esse sciebas;
Quá pote, erat totam noscere amor patriam.
Macte ó hoc animo, juvenum cultissime! tamq;
Difficilis post tot dura pericla iteris,
Nunc jam blanda iterū sectare umbracula Phœbi,
Pieridum inq; sacro suavé qviesce sinu.
Pellæum extollant alii juvenem: spatia orbis
Pluria cui qvondam perdomita essé canunt.
Qvantum hoc, totum animo cepisse orbem, omniaq;
Secum avecta catâ mente tenere bona? (orbis

AD ALEXANDRUM HAKE.

XVII.

Nobilitas nil pené hodié, nisi nobile nomen:
Cetera; vix qvidqvam est nobile nobilibus.
Rari, qvéis virtus potior, qvám stemmata multis
Undiq; majorum splendida imaginibus.
At tu, si qvis in his, certé unus es, aurea Virtus
Qvêis cordi & Musarum incluta sunt studia.
Unus in his certé es, sangvis generose parentum
Nobilium, & juvenum flosculе nobilium:
Fortis Alexandri cui stat de nomine nomen,
Atq; animus magno par duci inest Macetûm.
Perge modó, ut tibi ceptum iter est, & confice qvod
Curris inoffensi calce pedis stadium. (jam

Certa

Certa manet te palma, laboris & ardua merces,
Quo sua divendunt Dii preciosa bona.
Auguror, augurioq; fides non vana: Deorum
Sit modò ita tibi munere, talis eris:
Per quem nobilitas virtutis luceat, à quo
Fulgidus Aonidûm nobilitetur honos.
A quo nobilitas sit nobilium ipsa virorum
Sese ipsâ atq; ipso nomine nobilior.
Immò unus triplici tu nobilitate decorus,
Unicus omnis eris nobilitatis apex.

In Album
CORNELII MARTINI.
XVIII.

Qui tibi pridem omnemq; animum, mentemq; animi omnem
Adstrictam fidei vinclo adamantino habes:
Cui me sacravi totum, quem pectore toto
Perpetuumq; colo, & perpetuum veneror:
Nunc demum, Corneli, amor ô meus unice, & idem
Omniũ amor Superũ atq; idẽ hominũ omniũ amor.
Idem hominum omnium amor, quorum est amor inclyta virtus,
Quorum amor est Phœbus, quorũ amor Aonides:
Nunc demum sinceri animi, mentisq; fidelis
Syngrapham, & artæ testamen amicitiæ
Me poscis: simitu q; jubes mea nomina amicûm
Candidulo profiteri heicce tuum in numero.

Poscis

Poscis me, & vulgi poscis de more, jubesq;
Cui ut libeat morem, aut qvei liceat gerere?
Ut libeat? qvando ipse tuo me corde recepsti,
Inclusum & fibris in penitis retines.
Dum effigies mea sculpta tuis sedet usq; medullis,
Tu sculpi infirmis me cupis in tabulis?
Non æqvum est: ego qvod teneo, non muto: latébris
Tutius his lateo, qvám tabulis pateo.
Sed vellem tamen, ut velles, dum mî amplius instas:
Qvei veró hoc liceat temporis articulo?
Ut te dignũ aliqvid tibi scribã, & qvod meo amori
Par sit, opus magno est ingenio & genio. (nunc,
Nunc neq; mî ingenium, genius neq; mî ullus adest
Nec Clarii ulla DEI aura intrat inertem animũ.
Longé absunt Musæ illæ, & abest longé illa, beato
Qvæ me olim fovit triga sinu Charitum.
Nescio qvid tamen, ecce, repenté mî amabile in aurẽ
Lætior ore tenello ipse susurrat Amor.
Sanctus Amor, sanctiq; & præstes & auctor amoris,
Cui genitrix virtus, Mercurius genitor.
Qvo duce jam libet, & tanto licet auspice, munus
Solvere, qvod tanto á me exigitur studio.
Ergo mei oris uti simulacra perennia perstant
Affabré sub corde effigiata tuo :
Sic etiam simulacra sui, manus æmula rité
Contrá auro his caris exprimat in tabulisq;

Utq; animus tibi devotus, tibi dedita mens est
Corq; meum immortali ut fidei igne flagrat:
Sic quæ dextra fidem sacro tibi fœdere junxit,
Dextra eadem fidei det monumenta meæ.
Stetq; inter reliquas, reliquis specienda ab amicis,
Quos tibi parq; fides parq; animus sociat. (hôc
Par animusq; fidesq;: aut me unum animusq; fidesq;
Major, quò ante alios me magis unicum amas.

AD JANUM VOLSCOVIUM.
XIX.

B*Arbarā amare ecquis potesit, nisi barbarus ipsus?*
Barbaro & ipsa ipsi barbara virgo viro
Juncta, ecquæ generet nisi barbara pignora, tota
Plena novâ fiat barbarie unde domus?
Barbaram amas tu, Jane, tamen, nec barbarus audis,
Nec quoq; vel mores barbarus aut animum es.
At quia Barbarā amas, si hinc barbarus esq; meresq;
Dicier; ô quis non barbarus est juvenum
Omnigenûm? quādo nemo est tam barbarus, ut non
Barbaram amet, lectoq; optet habere suo.
Sed tua dici etiā haut pote Barbara barbara, nec vel
Tantillum corde aut corpore barbari habet.
Ipse vides. quisq; haut videt & simul invidet? há,
Barbara si tua sit barbara, barbara erit (quid?
Cuncta puellarum turba, atq; etiam Venus ipsa;
Ipsa Venus; quæ quod pulcrū & amœnū habuit,
Huic

Huic dedit omne, & quâ potuit curâ usq; ita compsit
Unicum, ut usquam alibi haut sit reperire aliã,
Quæ sit compta, hæc ni sit vel comptissima, & inter
Virgineos divino oris honore greges
Sic sola eniteat, velut enitet ipsa Dione
Cœlestes inter sola venusta Deas.
Ergo quid é vobis statuam nisi bella venustæ
Pignora, tam culto possê geni thalamo?
Quales candiduli Veneris pupi, ille Cupido,
Hic Amor, & reliquum examen heræ Cypriæ.
O felix & Barbara, & ô tu Barbaræ amator!
Felix ô nata hinc pôst nova Barbaries!

AD MARTINUM BRASCHIUM.
XX.

Quos tibi dem numeros, Braschi optime? quos queo, nolo:
Quos cupio, nequeo. quos tibi dem numeros?
Hæreo. quod nequeo, cupio: quod non volo, possum.
Ergo quos nolim, quos cupiam numeros?
Hæreo. sed quos tu cupis, an queo? quos queo, nõ vis?
An quos vis, nolim? quos volo, non cupias?
Certé horum unum aliquod certum. sed fare, quod
Certum, quod certum sit mihi sitq; tibi. (horum
Quod volo ego, ipse cupis: quod possum ego, debeo
Nónne ergo possim quos cupio numeros? (velle.
Quos possum, haut cupiam? Nonne ergo quos ego
Tu cupias? nolis, quos nequeo numeros? (possi.

En cape, qvos possum dare, qvos volo, qvos dare me
Testes sinceræ & pignora amicitiæ. (*vis:*
Doctos non possum, nec tu cupis: heic ubi docti haut
Carmen, sed veri qværis amici hominis.
Huncq; ego dono tibi tali cum carmine talem,
Qvale cupis carmen, qvalem hominemq; cupis.
Tu cape utrũq; simul: simul & mihi te ipse vicissim
Mancupio dede, ut dedo me ego ipse tibi.

In Album
LAURENTII WOLFFII.
XXI.

Exemplum parilis si qvisqvam qværit amoris,
Ne jam ultrá antiqvis qværat ab historiis.
Non ad Dardanium Hyrtaciden eat Euryalumq;,
Non ad Pirythoum, Theseaq; Argolicum:
Non ad Damonem aut alios, qvos fama sacravit
Perpetuæ nomen perpetuum fidei.
Sint sua, sint priscis exempla: En nostra tibi ætas
Protulit omnigenâ clarius historiâ.
Ecce duos juvenes æqvales corpore & annis,
Moribus æqvales ecce duos juvenes.
Ecce duos juvenes studiis atq; artibus iisdem,
Vita eâdemq; pares ecce duos juvenes.
Ecce duos juvenes animo uno & pectore junctos,
Imó animû unâ unos ecce duos juvenes.

Ecce.

Ecce. sed ulterius qvid dicam? an nomina dicam?
Nomina verùm ad qvid dici utriusq; juvet?
Qvi scit Wolffiaden, scit Acidalium simul ipsum:
Qvi scit Acidalium, scit qvoq; Wolffiaden.
Nam haut aliter pote cum sit Wolffius usq; & ubiq;
In suo Acidalio, in Wolffio Acidalius.
Immò cum ipsius Acidalius sit Wolffius ipse,
Wolffius ipse & sit cùm ipsius Acidalius.
Dehinc ergo exemplum parilis qvi qværit amoris,
An jam ultrâ antiqvis qværat ab historiis?

PAULLO MELISSO.
XXII.

VT primùm arrectas tetigit mihi nuntius aures
De Sponsâ ÆMYLIA, Sponse MELISSE, tuâ:
Illa simul mentem tetigit mihi Vinea, de qvâ
Fertur Evangelicâ mentio in historiâ.
In qvam conducti seu primo lucis in ortu,
Seu medio, sero deniq; sive die:
Unam omnes tamen à domino retulêre laboris
Mercedem: imparibus gratia parq; fuit.
Est eadem vitæ ratio mihi visa jugalis,
Et qvasi diversi formula conjugii.
Seu qvis enim huic primis dedat se protinus annis,
Maturæ ætatis seu medio in stadio,
Seu declinantis spatio jam seriùs ævi:
Æqva manent cunctos præmia, qvémqve sua.

Bu. *Jam jam cetera vilior*
Turba est: tu potior solus, & arduo
Mi nunquam minor agmine.
Tecum vivere amo, tecum obeam lubens.

In Funus
JACOBI CURTI.

Qvicunq; spectant, qviq; vel audiunt
Tam sortem acerbam, tam miserabilem,
Imas dolentes ad medullas
In lacrumas pariter liqvescunt.
Et nunc miserti navicoli gregis
Lugent relictos in medio freto,
Tantisq; damnatam periclis
Cum gemitu adspiciunt carinam.
Nunc te peremtum respiciunt malè,
Te, magne Curti, sic malè perditum,
Planctu sonore perstrepentes
Tristibus ingeminant qverelis.
Te, magne Curti: maximus arbiter
Rudolphus orbis Romulei & caput
Qvem puppis Augustæ magistrum
Fecerat, imperiisq; clavum
A se secundo tradiderat loco,
Dextræq; fisus consilio & tuo
Tecum per undas æstuosi
Æqvoris impavidus regebat

Navim

Navim receptis tot populis gravem,
Fœtam virûm vi prævalidâ : hei tua
Vi mortis, infractâ nimis vi
Et properi interitus dolore
Qualem magistrum velivolæ ratis,
Quem nauticæ artis gnava peritia,
Rectricis & prudentiæ vis
Consiliis animosa cautis,
Usúsque multi rité fide datâ
Industriosæ exercita dexteræ
Admovit ad clavi gubernal,
Et statuit sibi vasta puppis
Magni per undas Oceani Ducem;
Illámque sese, illi sibi creditos
Credens suos enavigare.
Cuncta pericla pericla spectat.
Si cœcus olim jam in medio æquore
Unde unde fatorum impetus irruens
Fixumq; inhærentemq; clavo
Abripiat violente tractu:
Et vorticosæ merset adobrutum
Lethes profundo non satiabili :
Orbata non tantúm carina,
Nec modó cetera turba nudæ
Vectrix carinæ, incerta viæ, sui
Incerta, certi certa periculi,

Certa manet te palma, laboris & ardua merces,
Qvo sua divendunt Dii preciosa bona.
Auguror, augurioq; fides non vana: Deorum
Sit modó ita tibi munere, talis eris:
Per qvem nobilitas virtutis luceat, á qvo
Fulgidus Aonidûm nobilitetur honos.
A qvo nobilitas sit nobilium ipsa virorum
Sese ipsâ atq; ipso nomine nobilior.
Immó unus triplici tu nobilitate decorus,
Unicus omnis eris nobilitatis apex.

In Album
CORNELII MARTINI.
XVIII.

Qvi tibi pridem omnemq; animum, mentemq; animi omnem
Adstrictam fidei vinclo adamantino habes:
Cui me sacravi totum, qvem pectore toto
Perpetuumq; colo, & perpetuum veneror:
Nunc demum, Corneli, amor ô meus unice, & idem
Omniū amor Superū atq; idē hominū omniū amor.
Idem hominum omnium amor, qvorum est amor inclúta virtus,
Qvorum amor est Phœbus, qvorū amor Aonides:
Nunc demum sinceri animi, mentisq; fidelis
Syngrapham, & artæ testamen amicitiæ
Me poscis: simituq; jubes mea nomina amicûm
Candidulo profiteri heicce tuum in numero.

Poscis

Poſcis me, & vulgi poſcis de more, jubesq́;
Cui ut libeat morem, aut qvei liceat gerere?
Ut libeat? qvando ipſe tuo me corde recepſti,
Incluſum & fibris in penitis retines.
Dum effigies mea ſculpta tuis ſedet usq́ medullis,
Tu ſculpi infirmis me cupis in tabulis?
Non æqvum eſt: ego qvod teneo, non muto: latébris
Tutius his lateo, qvám tabulis pateo.
Sed vellem tamen, ut velles, dum mî amplius inſtas:
Qveî veró hoc liceat temporis articulo?
Ut te dignũ aliqvid tibi ſcribã, & qvod meo amori
Par ſit, opus magno eſt ingenio & genio. (nunc,
Nunc neq́ mî ingenium, genius neq́ mî ullus adeſt
Nec Clarii ulla DEI *aura intrat inertem animũ.*
Longé abſunt Muſæ illæ, & abeſt longé illa, beato
Qvæ me olim fovit triga ſinu Charitum.
Neſcio qvid tamen, ecce, repenté mî amabile in aurẽ
Lætior ore tenello ipſe ſuſurrat Amor.
Sanctus Amor, ſanctiq́ & præſtes & auctor amoris,
Cui genitrix virtus, Mercurius genitor.
Qvo duce jam libet, & tanto licet auſpice, munus
Solvere, qvod tanto á me exigitur ſtudio.
Ergo mei oris uti ſimulacra perennia perſtant
Affabré ſub corde effigiata tuo:
Sic etiam ſimulacra ſui, manus æmula rité
Contrá auro his caris exprimat in tabulisq́.

Utq; animus tibi devotus, tibi dedita mens est
Corq; meum immortali ut fidei igne flagrat:
Sic quæ dextra fidem sacro tibi fœdere junxit,
Dextra eadem fidei det monumenta meæ.
Stetq; inter reliquas, reliquis specienda ab amicis,
Quos tibi parq; fides parq; animus sociat. (hôc
Par animusq; fidesq;: aut me unum animusq; fidesq;
Major, quô ante alios me magis unicum amas.

AD JANUM VOLSCOVIUM.
XIX.

BArbarā amare ecquis potesit, nisi barbarus ipsus?
Barbaro & ipsa ipsi barbara virgo viro
Juncta, ecquæ generet nisi barbara pignora, tota
Plena novâ fiat barbarie unde domus?
Barbaram amas tu, Jane, tamen, nec barbarus audis,
Nec quoq; vel mores barbarus aut animum es.
At quia Barbarā amas, si hinc barbarus esq; meresq;
Dicier; ô quis non barbarus est juvenum
Omnigenûm? quādo nemo est tam barbarus, ut non
Barbaram amet, lectoq; optet habere suo.
Sed tua dici etiā haut pote Barbara barbara, nec vel
Tantillum corde aut corpore barbari habet.
Ipse vides. quisq; haut videt & simul invidet? há,
Barbara si tua sit barbara, barbara erit (quid?
Cuncta puellarum turba, atq; etiam Venus ipsa;
Ipsa Venus; quæ quod pulcrū & amœnū habuit,

Huic

Huic dedit omne, & quâ potuit curâ usq; ita compsit
Unicum, ut usquam alibi haut sit reperire aliã,
Quæ sit compta, hæc ni sit vel comptissima, & inter
Virgineos divino oris honore greges
Sic sola eniteat, velut enitet ipsa Dione
Cœlestes inter sola venusta Deas.
Ergo qvid é vobis statuam nisi bella venusta
Pignora, tam culto posse geni thalamo?
Qvales candiduli Veneris pupi, ille Cupido,
Hic Amor, & reliqvum examen heræ Cypriæ.
O felix & Barbara, & ô tu Barbaræ amator!
Felix ô nata hinc pòst nova Barbaries!

AD MARTINUM BRASCHIUM.
XX.

Qvos tibi dem numeros, Braschi optime? qvos qveo, nolò:
Qvos cupio, neqveo. qvos tibi dem numeros?
Hæreo. qvod neqveo, cupio: qvod non volo, possum.
Ergo qvos nolim, qvos cupiam numeros?
Hæreo. sed qvos tu cupis, an qveo? qvos qveo, nõ vis?
An qvos vis, nolim? qvos volo, non cupias?
Certé horum unum aliqvod certum. sed fare, qvòd
Certum, qvod certum sit mihi sitq; tibi. (horum
Qvod volo ego, ipse cupis: qvod possum ego, debeo
Nónne ergo possim qvos cupio numeros? (velle.
Qvos possum, haut cupiam? Nonne ergo qvos ego
Tu cupias? nolis, qvos neqveo numeros? (possi.

En cape, qvos possum dare, qvos volo, qvos dare me
Testes sinceræ & pignora amicitiæ. (vis:
Doctos non possum, nec tu cupis: heic ubi docti haut
Carmen, sed veri qværis amici hominis.
Huncq; ego dono tibi tali cum carmine talem,
Qvale cupis carmen, qvalem hominemq; cupis.
Tu cape utrũq; simul: simul & mihi te ipse vicissim
Mancupio dede, ut dedo me ego ipse tibi.

In Album LAURENTII WOLFFII.

XXI.

Exemplum parilis si qvisqvam qværit amoris,
Ne jam ultrá antiqvis qværat ab historiis.
Non ad Dardanium Hyrtaciden eat Euryalumq;,
Non ad Pirythoum, Theseaq; Argolicum:
Non ad Damonem aut alios, qvos fama sacravit
Perpetuæ nomen perpetuum fidei.
Sint sua, sint priscis exempla: En nostra tibi ætas
Protulit omnigenâ clarius historiâ.
Ecce duos juvenes æqvales corpore & annis,
Moribus æqvales ecce duos juvenes.
Ecce duos juvenes studiis atq; artibus iisdem,
Vita eâdemq; pares ecce duos juvenes.
Ecce duos juvenes animo uno & pectore junctos,
Imó animâ unâ unos ecce duos juvenes.

Ecce. sed ulterius qvid dicam? an nomina dicam?
Nomina verúm ad qvid dici utriusq; juvet?
Qvi scit Wolffiaden, scit Acidalium simul ipsum:
Qvi scit Acidalium, scit qvoq; Wolffiaden.
Nam haut aliter pote cum sit Wolffius usq; & ubiq;
In suo Acidalio, in Wolffio Acidalius.
Immò cum ipsius Acidalius sit Wolffius ipse,
Wolffius ipse & sit cúm ipsius Acidalius.
Dehinc ergo exemplum parilis qvi qværit amoris,
An jam ultrâ antiqvis qværat ab historiis?

PAULLO MELISSO.
XXII.

VT primúm arrectas tetigit mihi nuntius aures
De Sponsâ ÆMYLIA, Sponse MELISSE, tuâ:
Illa simul mentem tetigit mihi Vinea, de qvâ
Fertur Evangelicâ mentio in historiâ.
In qvam conducti seu primo lucis in ortu,
Seu medio, sero deniq; sive die:
Unam omnes tamen á domino retulêre laboris
Mercedem: imparibus gratia parq; fuit.
Est eadem vitæ ratio mihi visa jugalis,
Et qvasi diversi formula conjugii.
Seu qvis enim huic primis dedat se protinus annis,
Maturæ ætatis seu medio in stadio,
Seu declinantis spatio jam seriús ævi:
Æqva manent cunctos præmia, qvémqve sua.

Qvos igitur properé vitæ juvenilibus annis
Dat fructus aliis conjugialis amor:
Hos tibi vel seſe dat amor tuus, utq; det, opto,
Illum orans, qvo dat dante, dabitq;, Deum.
Hic faciat dicas, MEA SERA ET SOLA VOLUPTAS:
Benjamin inq; novo ſis vetus ille Jacob.
Illud & experiare, é Græco vate qvod olim
Romuleo vertit Muſa Latina ſono:
SERA ET TARDA NIMIS, SED FAMA ET LAUDE PERENNI.
Tu vive Æmyliæ, vivat & illa tibi.
Hæc tuus ex toto tibi corde MONAVIUS *optat,*
Ille tibi veteri junctus amicitia.
Ut rata ſint eadem, clementi numine porró
Is faciat, de qvo veré ita verſus ait:
MUNERA PROPITIIS MANIBUS VENIENTIA DIVÛM
COMPENSANT GRATA COMMODITATE MORAM.



VAL.

VALENTIS ACIDALI ODÆ.

AD DANIELEM RINDFLEISCH BUCRETIUM MEUM, PARODIA AMOEBEA.

ex Horat. Od. *9.* lib. *3.*

Ac. D*Onec junctus ero tibi,*
Nec qvemqvam potius mens tua fœdere
Majori juvenem colet;
Divorum videor sorte beatior.

Bu. *Donec non alium magis*
Ardebis, neq; erit vivere sic grave,
Juncti ceu modó vivimus;
Ipso mî videor prosperior Jove.

Ac. *Me pol certa fides ligat*
Cunctos firma dies & stabilis manens:
Pro te nunc renuam mori,
U*t parcant animæ fata superstiti.*

Bu. *Me torret qvoq; mutuis*
Sinceræ Veneris filius ignibus:
Pro te bis cupiam mori
U*t parcant capiti fata superstiti.*

Ac. *O sic dia velit Fides!*
Conjunctosq; jugo servet aheneo,
U*t nostrâ obstupeant fide,*
Par fratrumq; canant nobile posteri.

Bu. *Jam jam cetera vilior*
Turba est: tu potior solus, & arduo
Mî numquam minor agmine.
Tecum vivere amo, tecum obeam lubens.

In Funus
JACOBI CURTI.

Qvicunque spectant, qvique vel audiunt
Tam sortem acerbam, tam miserabilem,
Imas dolentes ad medullas
In lacrumas pariter liqvescunt.
Et nunc miserti navicoli gregis
Lugent relictos in medio freto,
Tantisque damnatam periclis
Cum gemitu adspiciunt carinam.
Nunc te peremtum respiciunt malé,
Te, magne Curti, sic malé perditum
Planctu sonore perstrepentes
Tristibus ingeminant qverelis.
Te, magne Curti: maximus arbiter
Rudolphus orbis Romulei & caput
Qvem puppis Augustæ magistrum
Fecerat, imperiisque clavum
A se secundo tradiderat loco,
Dextræque fisus consilio & tuo
Tecum per undas æstuosi
Æqvoris impavidus regebat

Navim

Navim receptis tot populis gravem,
Fœtam virûm vi prævalidâ: hei tuæ
Vi mortis, infractâ nimis vi
Et properi interitus doloris.
Qualem magistrum velivolæ ratis,
Quem nauticæ artis gnava peritia,
Rectricis & prudentiæ vis
Consiliis animosa cautis,
Usúsque multi ritè fide datâ
Industriosæ exercita dexteræ
Admovit ad clavi gubernal,
Et statuit sibi vasta puppis
Magni per undas Oceani Ducem;
Illúmque sese, illi sibi creditos
Credens suos enavigare,
Cuncta pericla pericla spectat.
Si cœcus olim jam in medio æquore
Unde unde fatorum impetus irruens
Fixumq́ inhærentemq́ clavo
Abripiat violente tractu:
Et verticosæ merset adobrutum
Lethes profundo non satiabili:
Orbata non tantúm carina,
Nec modó cetera turba nudæ
Vectrix carinæ, incerta viæ, sui
Incerta, certi certa periculi,

 Ipsumq́

Ipsumq; ademtum, ah destitutam
Seq; simul, simul usq; luget.
Sed luget in partem ipse etiam exterus,
Cui scire tales contingit datur vices,
Totusq; in alternum dolorem
Solvitur ex utriusq; sorte.
Et nunc gubernatorem adeó inclutum
Sic perditum cit flebilibus modis:
Præconio digno inq; dignum
Exitium lacrumans honestat.
Nunc navem & ipsam navis & incolas
Suspiriosis fletibus ingemens
Deplorat, importuna damna
Pectore commiseratus imo.
Sic, Magne Curti, te tua non modó
Privata te Germania nunc duce
Qvem vis sibi improvisa fati
Præcipiti eripuit procellâ.
Hei navigans non sidere prospero
Germania & Germanica qvod ratis
Germanicorum alveô capace
cumq; vehit populorum, in alto
Jam destituti prætumidi maris,
Deflent ademtum, te sibi, te sibi
Deflent ademtum, te fluore
Perpetuo lacrumarum inundant.

Te

Te te, sed incerti mage téne, [illegible]n',
An se mage ipsos, se miseros m[illegible]
Ipsos fleant, ipsos fluore
Perpetuo lacrumarum in[illegible]dent.
Utrosq; deflent, te simul atq; se,
Utrosq; inundant, te simul atq; se,
Utrosq; flent, utrosq; inundant
Te simul, ah miseri, simul se.
Sed præter ipsos flent pariter quoq;
Illi, ratis quos non eadem vehit,
Nec casus idem tangit iste,
Angit idem tamen hoc periclum.
Franguntur omnes Cæsare cum suo,
Cui parcere uni fata nefaria,
Damnis & humanis superstantem
Altius haut tetigisse erat fas.
In Curtio ergo Cæsare cum suo
Mors læsit omnes. quis querimoniis
Finem jubebit, quis dolori,
Præcipietq; modum vel iræ?
Iræ & dolori & sit querimoniis
Finis tamen jam, sit modus. uvida
Siccemus á longo ora fletu,
Atq; animis redeat serenum.
Est unde vulnus tam coëat patens:
Nec Dii medelam sollicitis negant.

Dudumq; circumspectat acer,
Acer[illegible] in medio dolore,
Cæsar salutem tum sibi tum suis
Dextram, requirens Curtiadem novum,
Jactura quó pensetur istæc
Cunctaq; damna resartiantur.
Nec longé abest, cúm par veteri novus
Quæsitus altâ indagine pectoris,
Monstrantibus Diis eruetur
Auspicioq; bono repertus
Successor illâ sede locabitur,
Quam Parca desolaverat invida
Neqvicqvam: & implebit prioris
Munia pervigili labore,
Et tam sagaci mentis acumine,
Fidiq; cura perpete consili,
Ne Curtius desideretur,
Aut periisse putetur orbi.
Sic ô sit! & jam sic erit. Haud tamen
Obliviosi nube silentii
Ille ille noster, noster ille
Curtius involüetur unqvam.
Ingratus orbis non adeó usq; erit,
Ut Curtii non se memorem sui
Præstet, nec erepti superstes
Heic studeat retinere nomen.

Nomen

Nomen superbâ nobile gloria
Viventis, haut ignobile mortui
Passurus: invito vel ipsi
Quod memori celebrandu[m] honore.
Tám multa nam vestigia cúm sui,
Tám magna nam vestigia cúm sui
Impressit heic, impressit illic
Per spatium Imperii usqquaq;
Factisq; dictisq; omnimodis bené
Semper merendo: ah illius illius
Tandem modo quo, si velit quo,
Dememinisse valebit unquam?
Non si allaboret, Curtia nomina
Delebit in se: nec cupiat licet
Quibit negare: & si tacebit
Ipsa tamen merita eloquentur.
Prodentq; sese, si teget impius,
Illumq; clarâ voce redarguent,
Et voce clarâ hinc inde cogent
Perpetuas resonare laudes.
O Curtium! ô Sors quæ nova Curtii!
Cui perpes Orbi, dum manet Orbis hic,
Ipso orbe & invito, manebit
Fama decusq; perenniclarum.
Qualis per orbem, qualis erit mihi
Diis invidendo nomine Curtius,

Orbe & volente & sic amante,
Tamque studio fovente?
O vita, & ô mors incluta Curtii!
Vitâ sed ô mors ter magis incluta!
Quis vivere optet, sic, mori sic?
Vivite sic & erit mori sic.

Ad V. Cl.

Justum Lipsium.

Qvem tu, Lipsiado, semel
Scriptorum Critico pollice finxeris?
Illum non stylus acrior
Compunget reprobum, non situs indecor
Blattis mittet edacibus
Prædandum, neq; nox invida tristibus
Turpatum tenebris caput,
Cúm mortis tetricas exierit manus,
Subducet Clario gregi;
Sed qvæ culta novúm pagina jam nitet,
Et doctæ comites Notæ,
Reddent perpetuo tempore vividum.
Phœbi principis artium
Dignamur soboles inter Hyantios
Primum ponere te choros,
Et jam dente minus roderis invido.
O caliginis horridæ
Priscas qvi nebulas, Sol nove discutis:

O altiùs

O altis qvoq; noctibus
Immissura diei, si lubeat, jubar;
Totum muneris hoc tui est,
Qvod clarent oculo rité legentium
Romanæ Sophiæ libri:
Qvod discam, & didici, qvod didici, tuum est.

AD JO. MAT. WACKERUM
Parodia ad Odam Horat.
x. Epod.

BOnâ juganda SPONSA prodit alite,
Petens amantem WACKERUM.
Ne plumbeis imbelle verberes latus,
Auster caveto, flatibus.
Sudos madores Aqvilo, deterso polo,
Atrasq; nubes differat.
Adspiret Eurus, qvalis altis vallibus
Motat virentes flosculos.
Et Phœbus auctâ luce amicúm arrideat,
Qvâ lætus Erigonen subit.
Iniqviore nec fruatur æthere,
Qvam Paphia Divarum manus:
Cum Cypris antrum fecit iter ad Ilium
In abditum Anchisæ torum.
O qvantus instat Wackero sudor tuo,
Tibiqve fervor flammeus,

Et

Et illa virginalis ejulatio,
Preces & Idæam ad Deam:
Navifragus cùm præstuans sinus
Vado catenam solverit.
Amica quod si fata dulci pignore
Festina matrem fecerint;
Perenniclara consecrabitur dies
Hæc festa Diis jugalibus.

PARODIA EIC EYΘANACIAN.

Quem tu, MORS, pia MORS, semel
E vitâ placido fine vocaveris:
Illum non timor amplius
Turbabit trepidum, ne stygius Charon
Cymbâ ducat Avernicâ
Vectorem, neque gens infera sontibus
Damnatum maculis reum,
Quod vitæ reprobas institerit vias,
Vexabit cruciatibus.
Sed quá læta sacer gramina fons rigat,
Cælestes Genium manus
Ducent Elysio tramite sospitem.
Jovæ Principis omnium
Non spernet soboles inter amabiles
Cæli ponere me choro:
Et jam corde magis sublevor entheo.

O menti

O menti bené conſciæ
Dulcem quæ reditum MORS p[illegible]conficis:
O ipſis qvoq; perditis
Allatura obitum, his ſi libeat, piu[illegible]!
Totum muneris hoc tui eſt,
Si tollar gregibus depereuntium,
Salvandi ſocius gregis:
Si ſanctè moriar, cúm moriar, tuum eſt.

In Obitum
CHRISTIANI, JACOBI FILI, MONAVII.
Defunctus ipſe loqvitur.

Sol vitæ, genitórqve lucis, ipſe
Lux mera, & mera vita, lucis á ſe
Et vitæ dederat mihi nitorem:
Et ſparſum radiis ſuis, novam me
Gentis nomine Lunulam vetuſtæ
Fecerat ſibi, miſeratq; terris
Fulgere in decus æmulum parentum.
Fulſi lumine ſplendido parumper
In patris decus, in decusq; matris,
Huic lux, vitaq;: vita luxq; & illi,
Gratus omnibus, omnibus ſuavis,
Qveis fulgor meus hic, nitorq; viſus.
Sed me lumine non meo micantem

Auctor

Auctor luminis ut repenté missum
Terris intulerat, repenté rursum
Terrris abstulit: inqve puriorem
Lucem transtulit: & sibi propinqvum
Plùs haurire dedit sui nitoris
Ipso é fonte perennis ignis, & jam
Inter siderei faces Olympi
Accendit radio sereniore.
Heic jam splendeo Lunula innovata
Constantis fidei novella Luna.
Æternúm & liqvidâ micabo flammâ
Sidus sidere purius Dianæ
Orbis clarior igneo orbe Phœbi.
Exstinctum malé ne putes abisse,
Tu tristis pater, atq; mœsta mater,
Nunc jam lúceo, nuncq; vivo demum
Ipsâ in lucis origine atq; vitæ.
Heic & vos diuturniora terris
Astra, perpetua astra deinde cœlo
Exspecto, & maneo diem dierum,
Qvo nos luminis auctor ille nostri
Sol noster, socias locum hunc sub unum
Conductis radiis, parésqve luce
Concordi faciet nitere stellas,
Cœlum ut pluribus impleat sibi astris,
Semet pluribus & coronet astris.

Pro

Pro salute atqve inco-lumitate

FRIDERICI, JACOBI FILI, MONAVI.

GEntis incluta spes Monavianæ,
Patris filiole incluti Monavi,
O tenelle puer, tener puelle,
Nunc jam nomine, req; dives olim
Pacis ô Friderice, & ô honoris!
Vive, vive puer, puer tenelle,
Cresce, cresce tener, tener puelle,
Ut sis nomine req; dives olim
Pacis ô Friderice & ô honoris!
Vive, cresce decus Monaviorum,
Subnatus decori Monaviorum.
Hoc optat pater, hócqve mater optat,
Hoc sperat simul ille, & illa sperat:
Sed scit patruus, ac videt futurum
Jam fraterculus in polum recepti.
Pleni numine jam propinqviore
Divis additi uterq;, uterq; divi,
Successore novo invicemq; læti
Gaudent gaudia mutua, & suis te
Gratantur sobolem hanc, sibiq; fratrem hunc
Alter, alter & hunc sibi nepotem;

In

In qvo reddita sint recenter orbi,
In se perdita quæ fuére qvondam.
Felix augurium hoc, ratum sit omen!
Omen, augurium ve si, vel est si
Oraclum potius. Sit ô sit ipsum
Qvodcunq; est, liqvidum: sit usq; qvaq;
Præsentis fidei atq; veritatis.
Nec tu falle tuos puer tenelle,
Vanos argue nec tener puelle.
Sed nec fallere tu velis parentes,
Et nec arguere hos qveas beatos.
Qvin jam nunc properans gradus minutos
Annorum indole prævenire gestis
Sublimi indole mentis ingeniq;,
Sublimi indole & oris atq; morum:
De te plura etiam spei benignæ
Sponsu pollicitus benigniore.
Vive sic bone, sic puelle cresce,
Cresce sic puer optime atq; vive,
Svavis pusio, svavium parentum,
Corculum patris, ipsa vita matris:
Patris filiole incluti Monavi,
Matris filiole inclutæ Holzpecheræ,
Gentis inclutæ spes Monavianæ
Sic sis nomine req; dives usq;
Pacis ô Friderice, & ô honoris.

IN

IN EPIGRAPHEN MUSÆI MONAVIANI.

Vitæ summa brevis beatioris
Ex sortis sapientiæq; lege
Musæi est titulus Monaviani :
Musæi hic titulus Monaviani :
Secum vivere, longè abesse turbâ,
Gaudere innocuâ qviete : rerum
Abstinere alieniore curâ,
Suis otiolum suum occupare :
Fortunam benè ferre utramq; ubiq; :
Si qvidqvam est agere aut pati necesse,
Non spectare homines, Deum intueri,
Hinc caussam trahere, hinc opemq; caussæ :
Mortem perpete sic diu atq; noctu
Secum volvere cogitatione,
Peccatum magis ut magisq; semper,
Ipsa sed minus, ut minusq; semper
Vitetur, metuatur, horreatur :
Mundum & qvalia qvantacunq; mundi
Magno pectore non habere magna :
Vitâ istâ fragili ac laboriosâ
Vitam perpetuam ac voluptuosam
Affectare magis : bonis caducis
Æternum unum avido anteferre voto :
Curâ corporis & brevis salutis

T Longè

Longé postposit[illegible] imminere soli
Immortali [illegible] beatitati:
Sic se deniq; [illegible]mparare totum,
Ut mens l[illegible] prius libensq; terreo
Quám vel libera vinculo evocetur,
In cœlum cupiat suum evolare.
Musæi hic titulus Monaviani est,
Musæi titulus Monaviani
Ex sortis sapientiæq; lege
Vitæ summa brevis beatioris.

PARODIA
Ad Phasellum Catullianum.

ROsa hæc, rubere qvam videtis hospites,
Ait prius fuisse candidissima:
Neq; ullius decus suave lilii
Neqvisse præterire; seu coloribus
Opus foret valere, sive odoribus.
Et hoc negant, perenniculta Chloridos
Negare septa, tripliciśq; Gratiæ
Roseta, Pæsti amabiles & hortulos,
Paphonq; & IdalI inclutum jugi nemus:
Ubi illa deniq; id coloris exuit
Decus prioris, & rubente purpurâ
Eburneas pudenter induit comas.

Venusq;

Venusq́ Cypria, ô, Nemusq́ Cyprium,
Tibi hoc fuisse & esse cognitissimum.
Ait Rosa ista, primulosq́ flosculos
Tuis stetisse dicit antè vallibus,
Tui imbuisse se fluore sangvinis:
Et inde mox supra albicantium gregem
Caput tulisse fulgidum: corallinæ
Ut igneo micant rubore baccul æ;
Simul tibi aspra spina fixerat pedem.
Neq ulla vota Florealibus Diis
Sibi esse facta, cúm his abiret á rubis
Profecta in orbis omnis extimas plagas.
Sed hæc fuère. nunc honore perpetim
Vegetq́ proprio, vigetq́ honos tibi,
Nemusq́ Cyprium, ô, Venusq́ Cypria.

XENIA

AD LAURENTIUM WOLFIUM.

SI boni qvidqvam attulissent Januariæ Calendæ,
Care Laurenti, mihi me carior sodalis ipso,
Illius partem tibi de more donarem recepto
Seculi nostri, & fausto sub anni exordio recentis
Xenia haut ingrata jã nunc corde mitterẽ lubenti:
Sed boni nil attulerunt Januariæ Calendæ: (possim,
Nil boni. Qvidnam ergo dem nunc aut tibi donare

Care Laurenti, mihi me carior ſodalis ipſo ?
Nil qveo. Quidnam ergo flagitas vel flagitare poſſis
A Valentino, tibi ipſo te ſodali cariore ?
Nil potes. Nil ergo do, nil ergo tu me flagitabis.
Attamen ne dem nihil, ne Januarias Calendas
Debito fraudare honore, conſvetudinemq́ noſtri
Turpiter migrare credar ævi : Do tibi ecce verſus
Pauculos, duros, famelicoſos atq́ claudicantes,
Aridos, mancosq́, ſemitariósqve & invenuſtos,
Ruris atri plenos atq́ plenos inficetiarum,
In qvibus munuſculi veſtigiũ haut apparet ullum.
Tu cape hos. donumq́, ſi qvid eſſe Muſas atq́ Phœbũ
Judicas, non vile judica : & ſi qvid reqviris ultrá
Præter hos verſus miſellos, hoc chartaceumq́ donũ;
Tot ſalutes accipe, ordiens qvot annum luce primâ
Sol coruſcus verberat nivalis agri litorumq́,
Litorumq́ montiumq́ arenas : qvot magnum ſub æqvor
Primula adventu ſuo ſtellas abire cogit Eos.
Tot ſalutes accipe, & plures : ut æternos ſuperſtes
In dies, qvotqvot poli volvuntur á gyris citatis,
Et revolvuntur vago cœli reciprocantis orbe,
Sanus ac felix mihi Divûm benignitate vivas.
O vale & ſalve : vale usq́ perpete & ſalute ſalve
A Valentino, tibi ipſo te ſodali cariore,
Care Laurenti, mihi me carior ſodalis ipſo.

VALEN-

VALENTIS ACIDALI EPIGRAMMATA.

AD SOLEM

De Urbe Vratislavia.

PHœbe Pater, mundi alme ocule, extima lativii
Qvi lustras curru mœnia lucifero: (orbis
Phœbe usqvámne aliqvid Breslæâ pulcrius urbe
A roséone aliqvid clarius axe vides? (vultus
Dic Pater. at qvidnam hoc? qvid qværenti aurea
Lumina mî obscurâ nube repentè tegis?
Hem video! Téne ô etiam clarissime lucis
Arbiter, invidiæ noxia vis tetigit?
Hoc est, Phœbe: tuæ lucis lux æmula pridem
Te urit, & hos urbis ferre neqvis radios:
Illa tibi rutilo certans jubare, alto apice urgens
Astra, decus jubaris verberat acre tui.
Sed tantúmne habet invidiæ, ut vel nomen ad ipsum
Liventi obducas pallidulum os nebulâ?
Qvin ô auricomi genitor venerande diei,
Linqve Indis priscæ dissita claustra viæ:
Et jam huc flecte rotas: heic deinceps incipe oriri,
Aut venit hinc nobis te sine clara dies.

AD JACOBUM MONAVIUM.

IAm chelyn ad numeros aptabã & plectra, Monavi,
In Scitum canerem qvêis Epigramma tuum.
Et simul, orans ciens Phœbum: ô nunc, Phœbe, mihi, inqvam
Dignum exprome sacris si qvid habes adytis.
Ille negat superesse aliqvid: sic undiq; vates
Cuncti absumpse tuum in Scitum Heliconis opes.
Sollicito Musas: at Musæ sæpé vocatæ
Teq; tuumq; ajunt linqvere nolle animum.
Castalios fontes adeo: en, heic fontibus ipsis
Magna sitis; gutta & nulla liqvoris adest.
Tum levis aura aures mihi personat: ito, MonavI
Qvære domum, Aonias qvi petis, hospes, aqvas.
Pro Phœbo ergo igitur Musisq; ipsaq; Aganippe,
Tu in Scitum mihi te suggere digna tuum.
Nam te dignum aliqvid jam ubi qværam, unum nisi apud te,
Te digna omnia qvi te penes unus habes?

AD DANIELEM RINDFLEISCH BUCRETIUM MEUM.

NOn Germanum ita germano Germanus amore
Diligit, ut fratrem tete ego frater amo.
Frater ego te fratrem, inqvam: nam nomen Amici
Non in fraterno hoc mî sat amore facit.

Nec

Nec me tu colis ipse alio, nisi fratris amore,
Et tibi Amici etiam nomine amore, leve est.
Qvin si fraterno est amor ullus major amore,
Hoc tibi ego sum, hoc tu carus amore mihi es.
Sed non fraterno est amor ullus major amore,
Ut sis tu mihi, sim carior ipse tibi.
Imó etiam fraterno amor hic est major amore,
Qvo mihi tu es carus, sum tibi carus ego.
Dii date, fraterno sit nomen majus amore,
Aut nullum hic noster nomen habebit amor.

AD JOANNEM CASELIUM.

DE Patriâ magni qvondam certamen Homeri
Certatum Grajis urbibus acre fuit.
Hæc ait, ille meus: meus est, contra altera clamat:
Qvæq; alia &, dubiâ lite, reclamat idem.
De te etiam Musis ingens lis orta, Caseli:
Varniadesq; suum Juliadesq; suum.
Esse volunt: neq; te his illæ concedere, alumnum
Illis & contrá te hæ rapuisse student.
Par fatum! sed dissimile unum hoc: vivus Homerus
Nulli pæné urbi notus inanté fuit:
At qvi serus honos post fata secutus Homerum est,
Viventi jam nunc obtigit ille tibi.
Qvantó igitur majus, clarum & carum esse ita vi-
Mæonidâ tantó tu mihi major eris. (vum,

AD EUMDEM.

Mæoniden [illegible] civem adscripsére tot urbes
Qvæq; [illegible]i, atq; hodié lis etiam hæc dubia est.
Te qvoq; J[illegible]ades magno certamine Musæ
Esse suum pugnant Varniadesq; suum.
Fatũ eqvidẽ geminũ! sed qvanto his major habẽdus,
Qvi Diis, qvám populis qvi movet invidiam.

AD JORDANUM BRUNUM
Nolanum Italum.

Qvi talis tantusq; cluis, simul omnium ut in te
Omnia sint unum dona profusa Deûm.
Qvi tibi, Naturæ thesauro é divite cuncta
Qvæ constant aliis singula, solus habes.
O cæli augustum & cunctis mirabile monstrum,
Qvo Natura suo victa opere ipsa stupet:
Flos ô Ausoniæ, Nolæq; tuæ aureé Titan,
O utriusq; decus deliciumq; poli.
Ecqvid ego nostro te carmine dicere tentem,
Carmine qvem digné dicere nemo potest?
Non ego. Tu superas Phœbi ipsius osq; chelynq;,
Nec de te Musis hiscere posse datum est.
Qvid mi igitur de te sit dicere, fors nisi dicam
Unum illud, de te dicere posse nihil?
Qvod faciã. at tibi sit satis hoc, vir maxime, laudis
Laudari nullo carmine posse satis.

In

In Tumulum

PETRI MONAVI VRATISL.
S. C. M. Medici.

VIs multa paucis discere, hospes? [illegible] audi.
PETRUS MONAVUS clausus hac jacet tumbâ.
PETRUS MONAVUS: sed sat hoc: sat audisti.
In nomine ipso cuncta jam recognoscis,
Jam pridem in illo quæ fuisse cognosti.
Nam fama nulli muta, tuq; non surdus.
Venerare tumbam: dic bené, hospes: & gaude
Rescisse & hoc heic, forté quod minus scibas.
Vix plura didicit paucioribus quisquam:
Vix plura quisquam paucioribus discet.

AD DANIELEM RINDFLEISCH
BUCRETIUM MEUM.

EN tibi versiculos, Daniel suavissime, nostros:
O majorq; meæ pars meliorq; animæ.
En tibi: quos animi vero candore petebas,
Vero animi candore accipere haut renue.
Quod me poscebas, modó habes: ego nunc, quod eram haut sum; (ero.
Nec tamen unquam alius, quã sũ, & eram anteá,
Quid loquimur? verũ. Fui in ære tuo hactenus; id nõ
Sum amplius: Et nunc sum, qui fui & anteá erã.

 Perpetuumq;

Perpetuumq́ ero[illegible] [illegible]icus in ævum candidus omne:
Tuq́ idem nunc es, qvi anteá eras, & eris.
Heus tamen: [illegible]n veré, qvod eram, nunc amplius
Si dubitas certo sic statues animo. (haut sum?
Qvi dat, qvod potuit; qvod debuit, omne dedisse
Creditur: atq́ ego plus debeo, qvám potui?

In Bibliothecam
MATTHÆI WOLFI.

ITala qvos tellus, qvos mittit Iberia libros,
Qvos dat Belgiaci nobilis ora soli:
Gallia qvos edit, vel qvos Germania, vel qvos
Ultima vix noto terra sub axe parit:
Tempora vel qvotqvot nobis antiqva tulerunt,
Tempora vel qvotqvot nũc qvoq́ nostra ferunt;
Heic licet uno omnes oculo perstringere, & uno
Congestos toto ex orbe videre loco.
Plena vides denso stipatis ordine libris
Omnia, & ad numerum non revocare potes.
At qvos nec numerus certâ sub lege coercet,
Tectiq́ vix spatio liberiore tenent:
Unicus ingenio & canis venerabilis annis
Wolffius, hos memori mente animoq́ tenet.

AD JOANNEM BORELIUM.

CLare Machaonii Antistes gregis, ipsa Patronum
Aris qvem statuit diva Hygiéa suis.

Ut

Ut te divini pandentem oraclâ Galeni,
Phœbigenûm sanctâ conspicuum in cathedrâ,
Ut te audire mihi volup' est! tua ut enthea verba
Me juvat attonitis imbibere auriculis!
Sæpé ego sic mecum, dum inhio tua dicta, Bokeli:
Dii, novus hic nobis unde Galenus adest?
Quám nihil huic illo, nihil hoc magis est simile illi!
Si fas, esse unum prorsus utrumq; putem.
At quando id fieri neqvit: aut priscũ esse Galenum
In te hodié, in prisco aut te olim habitasse puto.
Sed qvoniam id qvoq; vix credi pote: tu tamen ævi
Pergameus nostri jure vocare senex.
Nam qvisnã est, qvi te neget hoc jam ipsi esse Galeno,
Hippocrati qvod qvondam ipse Galenus erat?

AD PHOEBUM DE ARNOLDO FREITAGIO.

DA paullũ mihi, Phœbe, tuã chelyn & tua plectra,
Freitagio digné ut carmina pauca canam.
Da pater: aut tua qvando manũ chelys haut decet (istam,
Nec tua plectra istis conveniunt digitis:
Sume tibi paullúm ipse tuam chelyn & tua plectra,
Freitagio ut pro me carmina digna canas.
Sume Pater: nam cui medicas largitus es artes
Ipse, illum digné tu nisi nemo canat.

Quemq;

Qvemq́; chely ipse tuis docuisti & ludere plectris,
Non aliis huic dignè plectra chelysve canant.

AD DANIELEM RINDFLEISCH BUCRETIUM MEUM, Rostochio abeuntem.

HÆret mens animi, Bucreti : tène abeuntem
Hinc potius mittam, seu potius teneam ?
Ut teneam mihi amor tam fidi svadet amici,
Qvo nihil huic qvidqvam carius est animo.
Ut mittam, contrà in patriam tuus admonet ardor,
Qvâ nil qvidqvuam isti carius est animo.
Sed mittam potius. Nam te heic pia cura teneri
Longius optatæ non patitur patriæ.
Sed mittam : teq́; hoc devoto in pectore clausum
Nunc licet hinc mittam, perpetuò teneam.

AD EUMDEM, CUM JAM ABIISSET.

SI desiderio lacrumæ solamina præstant,
Ipse mihi do solamina & accipio.
At desiderium in lacrumas si solvitur ultrò,
Solvunturq́; in desiderium lacrumæ :
Qvêi desiderio lacrumæ solamina præstent ?
Unde mihi dem solamina & accipiam ?
Nempe alternatim alterutrum alterutri, utraq; u-
Ipsa dabunt sibi solamina & accipient. (trinq;

In

In Scitum
DANIELIS RINDFLEISCH
BUCRETI MEI:

FERENDO VINCO.

F*Erre eqvidem miserum, Bucreti: at vincere,*
Felix, & qvo nil clarius est, opus est. (*contrà*
Tu simul & vincis, simul & fers: scilicet ergó
Et pariter felix, & pariter miser es.
Qvêi veró id possit, mente haut qveo prendere, ni
Nec felix, te ipso judice, nec miser es. (*fors*

In idem.

V*incendo fers cuncta, & vincis cuncta ferendo*
Bucreti, passim & notus es his titulis.
Mira nimis tua sors: neq; me hinc extrico, simul
Aut miser & felix, aut nec utrumq; sies. (*qvêi*
Longius id tamen ut meditor, tandem redeo illuc;
Aut neq; mi ut felix, nec videare miser.
Aut miseré ut felix, feliciter aut miser ut sis:
E numero qvorum ô verius ecqvod erit?
Nil video. at nihil ut ne dicam, hoc deniq; dicam,
Et nullum esse horum atq; omnia vera simul.

In idem.

H*Actenus id dubium: miser an, felixne putandus,*
E scito, loqvitur qvod tua fata, sies.

Nunc

Nunc mihi, Bucrete, claro se in lumine verum
Pandit, & obscuræ diffugiunt tenebræ.
Fers eqvidem, & miserũ ferre est: sed eópse ferendo
Vincis, & inde alto victor honore clues.
Ut sis ergo miser, cúm hoc tam sis nomine felix,
Qvó mage fers, vincas ut magis atq; magis,
Qvis miserum ausit te, Bucreti, credere? dehinc te
Felicem potius dicere qvis dubitet?

ΕΥΧΗ

Pro novi anni felicibus auspiciis.

Orta dies cœlo est: nostræ orta salutis origo
Qvâ fuit, & vitæ spes rediviva novæ.
Orta dies cœlo est: generis qvâ gaudia nostri
Sunt nova, & est iterum pristinus ortus honor.
Orta dies cœlo est: veteris qvâ clauditur anni
Cursus, & auspicium surgit in orbe novi.
Sit precor orta dies: qvæ noctem é mentibus altam
Tollat, & á vitiis pectora pura ferat.
Sit precor orta dies: qvæ vel sine nube malorum
Prima heic felices inchoet orta dies:
Vel qvæ perpetuas æterno tempore luces,
Primaq; cælestes inchoet orta dies.

AD

AD DANIELEM RINDFLEISCH BUCRETIUM MEUM.

Bucreti, qvoties paulló acrius intueor te;
Ah moriar, mea mens, te nisi demoriar!
Protenus exclamo. At subitó & tu subjicis istud;
Ah peream, mea lux, te nisi depeream!
Bucreti, num istis qvid amicius uspiam amicis,
Mors qvibus alterius vita sit alterius?

AD LAURENTIUM WOLFIUM.

Nec tu, ô mi Wolffi, hinc prorsum indonatus abibis:
Pars tibi de nostris danda etiam una Rosis.
Sume has relliqvias, qvæ pridem in vepre relictæ,
Lectæ hûc exiguum sunt mihi jam in calathum.
Qvêis ut odor non sit roseus; roseo potiorém
Aura potis nostri infundere amoris erit.
Póst si forté Rosas meus hortus habebit; habebis
Messem ipsam cum ipsis postmodó relliqviis.

In Spinosos.

Rosas qvi dare me putavi amico,
Qvám dicent aliqvi dedisse spinas!
Spinas horridulas rosarum inanes,
In qvêis nec color aut odor rosarum,
Nec vestigiola ulla sint rosarum!

Dicent :

Dicent: & meritó illa posse dici,
Fórs illis & acerbiora credam.
At quám non fieri vel esse spinas,
Ipsos, mî cupiam maligniores,
Spinis hisce meis acutiores,
Rosis hisce meis iniquiores!
Dicant me potiús, minus maligni,
Spinam, sed tamen haut aculeatam,
Morsibus tamen haut feris iniquam:
Verúm quæ tulerit Rosas modó istas,
Qualescunq; quidem hoc Rosas in anno,
Quæ deinceps aliis Rosas in annis
Plures his ferat atq; amœniores:
Quas donare queam meis amicis,
Spinas quas nequeant vocare Spinæ.

AD CONRADUM MEMMIUM.

Has tibi dono Rosas, Memmi, si quid pote quisquã
Bis dare. Sed tamen en has tibi dono Rosas.
Illæ alii anté datæ, sed cum illo alio utier illis
Tu ex æquo ipse etiam, tecum aliique queunt.
Quì re unaq; eâdemq; simul dat posse fruisci
Pluribus, an non iis dat simul ille semel?

AD MARTINUM BRASCHIUM.

Has quoq; relliquias dono tibi relliquiarum,
Si dignæ hæ doni nomine relliquiæ.

Sed

Sed sive indignæ, seu dignæ; tu cape, dignus
Messe ipsâ, haut sordent si tibi relliqviæ.
Qvæ tamẽ haut poterũt tibi non sordere, odor omnis
Qvando has relliqvit jam modò relliqvias.
Relliqvit tamen has odor? an, qvando ipsa Rosarum
Messis nullam habuit vel minimæ aurã animæ:
Relliqviis etiam his odor haut unqvam infuit ullus,
Qvod nunqvam fuit ut perdere non fuerit?

AD DANIELEM RINDFLEISCH BUCRETIUM MEUM.

ME qvód amas, amo te, Bucreti: at qvæso qvid in
Sic ut amare velis, sic ut amare qveas? (me,
Ipse ubi me video, nihil est: melius neq; nosse
Tu pôte Acidalium es, qvám ipsius Acidalius.
Nec meritum scio me qvidqvam, nec posse mereri,
Ullam uti sim partem dignus amore tuo.
Sed tibi fatale hoc, ut ameris ab omnibus ultró,
Ipseq; ut ultró omnes mutuúm amatus ames.
Digni sint, minus an digni, curæ nihil: ùnus,
Qvotqvot amas, dignos reddit amoris amor.
Hoc qvoq; idem, Bucreti, in me usq; valebit: amoris
Et precium solus stabit amoris amor.
Certé, si tibi, jure nisi á te dignus amari,
Nullus amicus erit, rarus amicus erit.

AD EUMDEM.

Miratur populus, Bucreti, nos ita junctim
Perpetuó, & tam arctâ vivere amicitiâ:
Nunqvã ut ab alteri⁹ latere alter, qvidqvid agẽdũ
Alterutri, ungvẽ adeó vel minimũ usqvã abeat.
Sed mirúmne tibi id populum mirarier? haut mî
Hercle: nec est, mirum cur qveat esse tibi.
Hoc potius mirer, si non miretur amorem
Mirificum hunc, miror qvem ipse etiam, populus.
Mentior. & certé id qvoq; miror, vivere nostrum
Mirari usq; adeó qvi pote sit populus:
Cúm populus te ille omnis amet, neq; nemo sit, optet
Qvin ita tecum arctâ vivere amicitiâ.
Fallor, an id modó mirantur, tam me esse beatum,
Cui qvod avent omnes, unico habere datum est?

AD CORNELIUM MARTINUM.

Dum tu Sarmaticâ lentus regione moraris,
Qvó, me deserto, heu, sors tua te abripuit!
Me mea sors alias etiam traduxit in oras,
Corneli ô cordis cura dolorq; mei.
Invida sicne igitur Dea nos dissperneré qvivit,
Tam procul á vitâ ut vivat uterq; suâ?
Ah! ego triste mei desiderium CorneII
Ferre qveam? ah! possim has ferre ego divitias?
Téne ego mi Corneli unqvam dehinc cernere, túne
Dehinc poteris vultum cernere Acidalii?

O superet

O superet spes illa, feram qvod ferre necesse est:
Spes ea sit, potero ferre, qvod haut potero.
Tu qvoq; fer: præ oculisq; tibi simulacra mea usq;,
Seu; (qvod Dii nolint) seu revideamus, habe.
Ipsa tuam effigiem eq; oculis animoq; fideli,
Hoc erit, aut illud; nunqvam abiisse sinam.

In Album
CONRADI MEMMI.

Animitus ego te amo, animitus & amor ego tibi:
Tibi sum animula ego tua, mea tu es animula mihi: (mum habes,
Tuum animum habeo mihi, veluti tibi meum ani-
Qvid, animule mi, igitur inanima tibi mea manus
Avidè ita petitur? eáne librum in inanimum hunc
Dare pote melius erit aliud? an animo aliqvid
Alibi potius habeo? qvo ego neq; video, neq;
Scio, neq; dare tibi qveo melius. At age age jam,
Cape tibi modó, qvod habeo reliqvũ, uti sat habeas:
Capiã item ego mihi tua. Tua mea, mea tua dehinc:
Neq; tuus eris, ego neq; meus ero. Meus eris
Tu, ero tuus ego. Sat in ita tibi fit? an & aliud (est?
Cupis? Ego tu ero, tu eris ego. jã age, qvid ubi super-

In Tumulum
GEORGII FABRICII
Norlingensis.

Qvem schola tot tenuit, schola non schola, sed la-
Nomine decepit perpetuũq; suo: (bor, annos,

Hunc benè calcato tandem de pulvere raptum
Transtulit in veram Mors requieta scholam.
Otiaq́ á longo tribuit jam certa labore,
Læta per æternos semper agenda dies.
Omnibus á curis securus ut usq́ quiescat,
Inq́ ipso celebret Sabbata festa DEO.
Qvod tumulo heic inscribo tuo, extremumq́ brevi
Manibus officium carmine solvo tuis. (nunc
Tu salve æternûm atq́ vale: & solennia grato
Hæc á discipulo dona magister habe.

In Eumdem.

Qvicunq́ es, hospes, scire te mecum hoc juvet:
Hac, qvam premis, terrâ ille premitur mortuus,
Qvi vivus ætatis benè actæ tempore
Transgressus ultra jubilei seculum est.
Hac, qvam premis, terrâ ille premitur mortuus,
Qvi deinde vitæ conjugalis tempore
Transgressus ultra jubilei seculum est.
Hac, qvam premis, terrâ ille premitur mortuus,
Qvi deniq́ officii docendi tempore
Transgressus ultra jubilei seculum est.
Qvicunq́ es, hospes, scire qvem mecum hoc juvat
Mecum precari te qvoq́ hoc pariter juvet:
Ut qvi modis tot jubilei seculum
Exegit inter falsa mundi gaudia,

Heic

Heic peragat inter vera cæli gaudia,
Unum perennis jubilei seculum.

Ad Davidem Herlicium.

Auditor tibi rarus esse fertur
Herlici: neq; id esse item tibi ægré,
Sit minorum uti gentium magistris.
Mirer? nullus ego. qvid? an qvoq; illi
(Scis dictum Sapientis acre & altum)
Pauci non sat erant suûm librorum
Lectores, satis unus, immó nullus?
Macte istoc animo! & perinde ut ille
Solus, lector erat freqvens sibi ipse;
Auditorium eris freqvens tibi ipse.

Lusus

In Laurentium Wolffium.

ITe versiculi mei, videte
Wolffius qvid agat: memórne nostri
Vivat & valeat, videte: tum dein
Videndus mihi qvando sit, rogate.
Ite versiculi mei, & redite
Actutum, neq; vos mora ulla tardet.
Sed, statin' malé nati adhuc? qvid hoc est?
An non ibitis, impigri videre
Wolffium? mihi qvem videre non est,

Qvemq́ nescio qvando erit videre:
Qvem vobis, nimium herclé sic beatis,
Non tantum dabitur videre, sed qvem
Compellabitis ipsi & audietis,
Felices magis ô magisq́ me ipso.
Et statim malé nati adhuc, fruiq́
Tantâ rennuitis beatitate?
Qvin ite. at video modó ô miselli
Mei versiculi hæsitationem.
Tanto tempore Wolffium meum non
Vidistis, neq́ Wolffius meus vos,
Amplius modó Wolffium ut meum non
Noscatis, neq́ Wolffius meus vos.

VVOlffi, qvid caussæ esse rear, qvod nūc ita raró
Tam tibi amatum illum visis Acidalium?
Toto mense semel vix das te posse videri,
Totq́ potes sine me transigere usq́ dies.
Qvid rear. haut mutata fides, haut candor, & illa
Devoti nobis simplicitas animi.
Dii procul hoc. Cur te adspectu tamen, optime, nostro
Subtrahis? & reliqvi turba sodalitii.
Ore tuo semper fruitur, qvam me malé spreto
Assiduó sectare inq́ diem inq́ diem.
Qvám voveo, potius me sic secteris, ut illos
Qvaq́ fide intereâ me colis hosce colas.

Rarum

R*arum semper ego te, amice Wolffi,*
Putavi, & meritó putavi amicum:
Cui parem reperire non sit usqvam,
Cui parem tulerint nec ulla secla,
Sint latura parem nec ulla secla.
Putavi meritó te amice talem.
Nunc magis meritó puto & putabo
Raris omnibus esse rariorem
Te, rarissime amicule, unicum unum.
Omni cúm liceat tibi esse mecum
Die, cúm liceat vel omni in horâ,
Momentis vel in omnibus venire,
Assidere mihi usq; colloqviq;
Toto mense mihi semel videris.

I*Dem es, qvi pridem fueras, Wolffi, & tamen idem,*
Ut sis, certé etiam mî esse videre alius.
Qvi pote? non eqvidem id capio, video tamen, aut
Sic saltem videor te esse videre alium. (*mi*
Et videor saltem. Sed tu nihilominus idem es
Qvi modó, qvám fueras, jam esse vidére alius.
Qvêi veró id fiat, Wolffi, haut video herculé, cúm
Tam raró videare, idem aliúsve, mihi. (*nunc*
Idem es, non alius, qvám qvi Wolffi anté fuisti:
Sec nec eundem unqvam, nec video te alium.

V*icinus meus es, manuq; Wolffi*
De nostris pote tangier fenestris.

Qvis non invideat mihi, putetq́
Horis omnibus esse me beatum,
Juncto cui liceat frui sodale?
Tam longé es mihi, qvám meus tuusq́
Hinc Cornelius est mihi tibiq́,
Qvi nunc lentus agit procul remotâ
Crudorum in regione Sarmatarum.
Non convivere, nec videre saltem,
Non audire licet: nec urbe totâ
Qvisqvam est tam propé, tam proculq́ nobis.
Migrandum est mihi longius vel á te,
Migrandum tibi longius vel á me.
Vicinus tibi sit vel inqvilinus,
Wolffi, qvi te adeó videre non vult.

DE Wolffi dubitare animo scelus; ipsius in me
Desinet, ipsius ubi desinet esse, fides.
Ille tamen fidus, dum se negat usq́ videri,
Fructu me fidæ privat amicitiæ.
Qvó mihi tanta fides, si te careo intereá ipso?
Sat fidei pridem est, non sat, amice, tui.

ME sine tot luces potes exigere, optime Wolffi,
Nulla sit adspectus ut tibi cura mei?
Dure nimis, Wolffi verum hoc? Tot lucibus ergó
Nulla sit adspectus & mihi cura tui?
Non ego tam durus; qvi te sine lucem adeó unam
Vivere, non horam sum pote vel minimam.

Ergo

Ergo agedum ne dulce tuũ os mihi ſubtrahe, Wolffi:
Mitte tuos oculis hiſce negare oculos.
Si te nulla mei juvat oris gratia; ſaltem
Me juvet usq; oris gratia grata tui.

In Album
CHRISTIANI DORNMANNI
AD AMOREM.

Ecce Cupido, Cupido ſacri ſacer auctor amoris,
Pectora qvi unanimis bina jugas animis.
Ecce Cupido, huncDornmannus tibi donat Olorem,
Huncq; tibi en alium donat Acidalius.
Qvi te juncti ambo perq; æthera, perq; ſolum omne,
Qvá lubet ire, agili remigio usq; vehant.
Accipe: daq; viciſſim, ut qvalem utriusq; avis alâ
Candorem niveo fúlgere honore vides:
Talis noſtrum utriusq; in fido pectore ſemper
Eniteat, ſeu res proſpera, ſeu crepera.
Utq; ii dehinc parili accipient juga jugia collo,
Fórs pariliq; ibunt Elyſia arva pede:
Hiſce ita corporibus ſedeat mens una duorum
Perpetim, & Orcivum juncti ineamus iter.
Alterutrum at ſi forte Charon modó tollere amabit,
Functus adhuc vivi in corde ſuperſtes agat.
Donec & hunc Hecate vocet; unâ ac ſede reponat
Ambo, unũ-duo qvi usq; ante obitum fuerant.

AD HARDVICUM GRYPHIUM.

Spemné aliqvã sperare jubes, Gryphi? an te etiam
Déseruit tacito spes fugitiva pede? (ipsum
Non ita, [illegible]n, inqvis. Qvidnam ergo deniq; ? spera
Porró etiã. At qvã diu? numq; bono cum aliqvo?
Sic erit. Ah qvid, erit? si nõ est. Nullus ego! hei mi,
Hei misero! cui spes tam procul: illa meæ
Unica vitæ anima atq; animæ rursum unica vita!
Vita quidem: at vivi nil nisi somnium iners.
O potius qvám sic vigilantem emortua spes me
Insomnis somni ludat imaginibus;
Mors ades, & ferreo me sopitum hinc age somno
Invisis lethes merge voraginibus.
Tum mihi securo nec erit sperare necesse:
Et sperare nihil, maxima lætitia.

AD EUMDEM

Siqva super misero spes ulla est, optime Gryphi,
Optima uti sperem vel bona certa, jube.
At si nulla super misero vel specula, deinceps
Pessima uti metuam, vel mala certa, mone.
Utrumq; id fidei tuæ erit, ne fallar utrinq;,
Grandia vel sperans, vel metuens gravia.
At si nec scibis; sitné an non qvid super: uno
Id qvoq; me verbo, qvo sciam & ipse, doce.
Nam tu si nescis: dein qvid sciam ego? imó sciã dein,
Sperandum haut frustrá, nec metuendũ aliqvid.

In

In Album
MARTINI BRASCHI.

VIs tibi dem numeros, Braſchi: atq; haut nolo ego. ſed qvos
Dem numeros, placeant qvi tibi, qviq; mihi?
Nec mihi qvos libeat, nec qvos tibi ſas dare tali,
Invenio innumeros dum excutio numeros.
Nec tamen & dandum nihil eſt. qvod ſi tibi nil dē
Hoc præter, qvo nil dico dare, an dem aliqvid?
Certé aliqvid. Tuq; hoc aliqvid tibi ſume, nihil ne
Dem tibi, neq; adeó tu tibi nil capias. (vel
Sed fallor, qvanqvā hoc aliqvid qvoq; non capis, an
Anteá habes, absq; hoc non uti nil habeas?
Certé absq; hoc aliqvo haut aliqvid. verúm herculé
Ni ipſius ego tibi sū nil, nihilóve minus. (multū,

AD JANUM OSTENUM.

QVi Venerem Sophiæ dixit pugnare, qvid? an non
Hunc pugnare putes & Veneri & Sophiæ?
Nimirum tu, Jane, putas, qvi jam ſtudio uno
Caſtra colis Sophiæ & caſtra colis Veneris.
Et verum tu Jane putas, rectéq; geris rem:
Nec modó rem recté, proſperé eam imó geris.
Felix imó etiam, imó & feliciſſimus audis,
Temporis uno & eodem unicus articulo (idem
Qvi tibi Sponſam animo Sophiam ipſam jungis, &
Sponſam ipſam ducis in thalamum Venerem.

In

In Album

CHRISTOPHORI RIBOVII.

HAnc tibi do dextram, cum dextraq; hunc animũ
Christophore ô cordis muneа flamma mei. (do
Et satis hoc tibi sit. nam quæ tibi munera poscas
Plura dari, totum cúm hunc habeas animum?

XENIA

AD PETRUM DARGARSIUM.

Munera me poscis: contrá te munera posco,
Cura recens animi, candide Petre, mei.
Munera quæ donem, & contrá quæ munera dones,
Grata mihi pariter, nec minus apta tibi?
De me: nil habeo, nec duræ injuria Sortis
Me præter, quidquam mi reliquum voluit.
De te: nil aliud, quanquam Fortuna benigna est,
Te præter solum, dulce mihi video.
Ergo ut digna tamen capiamus munera uterq;,
Poscere quæ libeat, solvere quæ liceat;
Te posco mihi: Tu si vis ita, me tibi posce:
Te mihi si dederis, me tibi sponte dabo.

In Album

JANI SANSTACI.

Quã petis ecce manũ hanc: animũ vis? hunc quoq;
Virtuti & sanctis qui sacer Aonisin, (dono:

Iis

Iis quoq; sacratus simul est, qvicunq; feruntur
Virtuti & sanctis esse sacri Aonisin.

AD CORNELIUM MARTINUM.

Vile tibi reddo, mihi qvi non vile dedisti.
En cape, ne donum vile tuum faciam.
Magnus amor certé, minus ut sit pignus amoris :
Majus at hoc á te, nec tamen ille minor.

DE ME IPSO.

Si fatis dolor ipse meis par esse, dolori
Si lacrumæ, lacrumis si pote sint numeri :
Et dolor & lacrumæ & numeri mihi solū opus, una
Cura dolere mihi, flere sit, & canere.
At fatis neq; par nostris dolor esse, dolori
Nec lacrumæ, lacrumis nec pote sunt numeri.
Ergo qvid doleam, aut lacrumer, cantēvé, fatigans
Corda dolore, oculos fletu, animum numeris?
Sed tamen hoc doleo & lacrumor cantoq; fatigans
Corda dolore, oculos fletu, animum numeris:
Qvod fatis neq; par nostris dolor esse, dolori
Nec lacrumæ, lacrumis nec pote sint numeri.

In Album
NICOLAI WILLEBRANDI.

Me tibi jampridem, memet WILBRANDE, meūq;
Donavi æterno junctus amore animum :
Et tamen é Roseis abeuntem desubitó hortis
Carmina vis memores pauca dare in tabulas.

Qvid

Quid censes? ita versiculos & inania verba
Poscis, nec satis hoc esse putas, quod habes?
An quod habes, nescis? an nunc discedere prorsus
Et totum fugere hinc credis Acidalium?
Nullus is hinc fugiet. manet æternumq; manebit:
Parsq; tibi nostri maxima perpetim adest.
Tu quod habes, quod adest, retine: & satis esse puta-
Nullaq; dehinc petito carmina. Si facies; (to,
Redde quod ante dedi, quod habes, quodq; adfore
Et vel mille dabo deinde tibi numeros. (dixi:
Aut si illud quoq; non gratum est; hoc poscere cessa.
Fallor, an id quod haves, dū nego, carmen habes?

AD JANUM SANSTACUM.

Quod modò, vix-quanquam in spacio-dū puberis
Vitã adeò dixi, JANE, mihi esse gravẽ: (ævi,
Miraris, caussámq; ab amico exquiris amicé,
Voci tam crudæ non sat habens fidei.
At tu immaturum, verum tamen accipe verbum,
Nec fluxisse mage hoc serium ab ore puta.
Sic mea res. una & cur nolim vivere, caussa est,
Quod caussæ mihi nil, vivere cur cupiam.

In Album
FRIDERICI GROTI.

Tune meam mellite puer tibi vis quoq; dextram?
En cape. at é dextrâ quid meâ amabo boni?
Multum,

Multum, inqvis: tuq; ipse adeó meus hinc mihi de-
Dũ d is, te mi uni, ut do tibi me ipse, dabis. (xtrã
Há rectè. neq; me tibi denego. Sim tuus, ut tu
Vis meus esse: Et amo te qvoq;, me ipse ut amas.
Sed dextram hanc qvotiens teneris spectabis ocellis,
Mi Friderice, haut jam te reputa esse tuum.
Te mihi cum dederis, meus es: neq; adultior esse
Is renues, cupies juris ubi esse tui.
Te captum semel haut ullo dehinc tempore mittam,
Corde tuum me tu firmiter usq; tene.

IN VITAM HUMANAM.

FEstivum qvod me memini olim audire puellum,
Cauponem in mundo summum agitare Jovẽ.
Ille hominum secla omnigenûm laté, ultimus orbis
Qvá patet, hoc communi excipit hospitio.
Ille alit, ille cibum curat cuiq;, ille propinat
Cuiq; suum, vitæ in qvo modus est, cyathum.
Sed ne, hospes, sperato merum merum. Ibi haut sapor
Haut color est: mixta & turbida cũcta bibes. (un°,
Nunc in lætitiam te animabunt dulcia, nunc te
Pocla in mœrorem tristia dejicient.
Sic est, qvod miseris modó, mox felicibus, inde
Rursùm etiam miseris dulcacidum ævum agitur.
Sic sunt, cella Jovis qvæ vina dat; ipseq; semper
Miscet ita, & variis diluit omnia aqvis.

Scilicet

Scilicet an non hoc Cauponum est? sed miseri nos,
Qvos bibere ille etiam cogere Caupo potest!
Cogitq́ æternúm, é duro neq; mittit abire
Hospitio, nisi nos cúm ipse bibendo necat.

In Morillum.

NEmo hodie in medicâ felicior arte, sibi qvám
Vitam qvi ægrorum morte Morillus emit.
Hunc ô consulite ægra cohors: properé illius almâ
Morborum omne genus effugietis ope.
Qvæ tangit semel, interfectis corpora morbis,
Mortemq́; & morbos amplius haut metuunt.

In Sabellum.

Non culpas hominum, Sabelle, qvenqvam.
Verum hoc. & tibi ea una vera laus est.
Sed rursum haut alium, Sabelle, qvenqvam
Laudas, te nisi solum, & unicé unum,
In qvem omnes simul omniũ, qvod usqvam est,
Laudes absq; modo usq́; & usq́; transfers.
Ut non qvenqvam igitur, Sabelle, culpes,
Dum te unum modó prodigo ore laudas;
An culpas alios magis Sabelle,
An veró potius Sabelle laudas?

In

In Ponticum.

Relligiosus homo es: plebs cuncta id Pontice novit,
Nec præ te usquam alius relligiosus homo est.
Qvicqvid agis qvocunq; modo qvo tempore cunq;,
Ne qvid agas nullâ relligione, caves.
Res bona, si semper tam sancto corde fuisti:
Verúm te olim ætas longè alium loqvitur.
Tum tibi per fraudem rapere undiq; quidq;, nec ipsis
Nulla fuit sacris parcere relligio.
Nunc bona, nullâ olim qvæ relligione parasti,
Tangere summa tibi Pontice, relligio est.

In Papilum.

Bis sex annorum & ter ternas, Papile, vulgó
Te numerare ajunt jam modó Olympiadas.
Nec tuus incessusq; habitusq; & forma reclamant,
Cernere jam obstipo is qvi silices capite.
Qvi tamē est, qvod in hac tam grandi ætate, nihil (dum
Pingit nigrantes nix tibi cana comas?
Nescio an id certé est qvod rumor sibilat, in te
Papile, candoris usq; fuisse nihil:
Nuncq; ipsos, ne vel minimum candoris haberes,
Canitiem hautqvaqvam admittere velle pilos.
Sed certé hoc ipsum est. namq; en canescere tandem
Dum metuunt, spernunt se á capite & fugiunt.

Ad Gallum.

BAssam perlepidâ illam & eleganti
Formâ, Galle, juvenculam putabam:
Nemo & visâ aliter putare possit.
At tu, qui meliusq; veriusq;
Judicare potes, cui illius res,
Totaq; intus & in cute, ipsa nota est:
Tu ducis vetulamq; anumq; Bassam,
Et credi tibi Galle vis, quod ipsa
Forma pernegat usq; & usq; Bassæ.
Credam. Sed ratione dic tamen quâ
Credi tanta potest senecta Bassæ?
Contrá Galle refers. Mea illa Bassa
Annos jam tot habet juventâ in ipsâ,
Virginem ut meminisse non queat se.
Há, Galle, há! ratione si quidem istâ
Tua ætas erit æstimanda Bassæ:
Nunquam tu juvenem tuam ipse forsan
Vidisti aut meministi habere Bassam.

In Fannium.

MAgnus es in vulgo Fanni: me vulgus iniquus
Despicit & duris vocibus exagitat.
Magnus & hic tibi honor, nec ovas vulgariter illo,
Sic ut honore parem neminem habere putes.

Tum

Tum qvoq; me gaudes lacerari á plebe cavillis,
Et gravius nulli dedecus esse putas.
Scin' qvid ego interea mecum? mihi gratulor unũ id,
Fanni, tam vulgo displicuisse tuo.
Cogito & hoc: tam mi malé per convitia popli,
Qvám bené per laudes verbaq; honora tibi est.

AD NINAM.

SEu leve basiolum, levius seu basiolo qvid,
Seu paullò potius qvid volo basiolo:
Nina, negas subitó, vultuq; austera minanti,
Acribus & verbis me procul esse jubes.
Ah ten' tam duram misero? sic perdere amantem,
Usq; adeó & rigido te juvat esse animo?
Parce precor: stabile & qvoniã, mihi cuncta negare,
Tandem etiam ô totum hoc, Nina, negare nega!

In Nævolum.

SIc est, Nævole: cum tua illa primúm
Vidi carmina, nec bonum Poëtam
Verus te potui vocare censor.
Et malum timui tamen vocare.
Per lusum ergo ibi tum jocumq;, vatum
Dictus es mihi pessimus bonorum.
Indignaris ut audio, levemq;
Fers parum leviter jocum & molesté.

At jam, Nævole, pœnitet: recanto,
Censuramq; meam auctor ipse damno.
Serió tibi dehinc loqvar, meamq;
Mentem, ut sentio, serió fatebor:
Non vatum mihi pessimus bonorum
Posthac, verúm eris optimus malorum.

In Attalum.

BElla tua est sperata: id tecum ajo Attale. verúm
Miror, si certó hæc bella futura tua est. (hoc
Scin' qvot eam claro juvenes de sangvine sperent?
Haut, puto, te tantis præferet illa procis.
Subridens, nihil heic, inqvis, scio adesse pericli:
Illa mea est, sperent ut reliqvi usq; suam.
Nil est, qvod dubitem: mens tota illius aperta
Intimaq; uni adeó jam mihi cuncta patent.

In Rullium.

LIngvam nemo putet tibi esse Rulli,
Cum doctis qvotiens qvid est loqvendum,
Qvod doctum probet & probet disertum.
De te res ubi fert loqvi (sed usq;
De te, res ubi fert, ubive non fert,
Ad doctos loqveris parumq; doctos,
Ad sanos loqveris parumq; sanos)
Tam prompté loqvi & his videre & illis,

Lin-

Lingvacissimus omnium ut puteris,
Lingvam & nemo putet sibi esse Rulli.

In Pætulum.

Pætule formarum spectator es unicus unus,
Nec nisi judicio est pulcra puella tuo.
Tum quæcunque tibi pulcra est, venerare colisque,
Nec pæné est, quæ te non quoque mutuúm amet.
Una est in reliquis, quam nec pulcram esse, nec ullo
Aut colis, aut dignam ullius honore putas.
Nescio quêi cum aliis non convenit heic tibi: nec te,
Credo, tui heic acies deficit ingenii.
Certé ob formam aliis tanto est in honore, uti proni
Ante illam flexis se abjiciant pedibus.

In Roscium.

DI malé te perdant Rosci. quid te mihi jactas
Assiduò, & totiens exanimas miserum,
Laudibus illautis, quas ægris auribus usque
Audire æterna est carnificina mihi?
Desine magnificé nugari, aut me mihi misso
Dehinc alios, tua quêis facta loqvaris, adi.
Sed me unum retines, & si fugio usque reprendis,
Et tua de te uno lingva tacere neqvit.
O utinam aut mutum te Rosci, aut numina surdũ
Me faciant, tu ne me totiens facias.

Uxor pensum flagitans.

Pensum maritum flagitans maritalem,
Uxor subinde ipsa meridie noctis
Palpante dextrâ suscitabat & voce.
Ille oscitans arrigere nec valens qvidqvam;
Solvendo, ait, jam non sum. Ibi hæc, bonis ergò
Cede, inqvit. Appello, miser statim subdit.
Rursum illa; at appellare non licet noctu:
Vel solve, vel sit, qvi vicem tuam solvat.

In Chœrilum.

Non ego culpo meis qvenqvam sermonibus, inqvis
Chœrile; & hoc uno nomine vir bonus es.
Sed neq; qvenqvam, unũ præter te, Chœrile laudas,
Rursúmne hoc igitur nomine vir malus es?
Qvêi tamẽ & bonus & malus idẽ, Chœrile, vir sis?
Certé nec malus es, Chœrile, nec bonus es.

In Calvum.

Cúm nullã esse fidem dicas mihi Calve; qvid á me
Qvid totiens certam poscis iniqve fidem?
Cúm mihi nec credas qvidqvam, nec credere possis,
Efficere, ut credas, qvâ ratione qveam?
Hoc cape chirographum, dextræ inviolabile pignus,
Signa in qvo fidei do tibi certa meæ.

Nunc

Nunc igitur credis mi, & credere posse fateris,
Nec dubitas veram rité dedisse fidem.
Qvid dicam? Non huic, fidei qvi certa fidelis
Signa dedit; deerat sed tibi, Calve, fides.

In Pompilium.

INnumeros mihi se numeros sepé unius horæ
In spatio jactat fundere Pompilius.
Tamq́, inqvit, fluida est mihi vena, ita Apolline dextro
Mi sine curâ omni carmina suppeditant.
Mirer Pompilium aut dubitem? Credo herculé, qvãdo
Auctorẽ mi ipsam rem ipse dedit totiens.
Miror item: innumeris qvoniam visus mihi nullus
Vel modus est, vel pes, vel caput in numeris.
Et qvidni innumeros numeros se fundere jactet,
Cujus tam extra omnem sunt numerum numeri.

In Canium.

AD cœnã Canius vocat undiq; qvemq; per urbem
Repperit: ad cœnam nemo venit Canii.
Mirum id, cúm Canio vivat non lautius ullus:
Cœnare at laudes nemo cupit Canii.

In Traulum.

NOn Vatem nego te, nec es negandus
Traule: at herclé neq; id potest negari,
Veré olim mihi dictum & haut maligné:

Vatum te esse modò infimum bonorum.
Tu negas tamen, & tibi invideri
Clamas, cui potis invidere nemo est.
Verùm hoc si invidia est, vocare vatem,
Imum & dicere, Traule, te bonorum:
Hoc sit judicium qvod & probo ipse,
Et nemo improbat eruditiorum:
Absq; omni invidiâ vocare vatem,
Summum & dicere, Traule, te malorum.

In Incredulum.

Cúm sine chirographo credas, incredule, credi
Posse nihil, credis hoc sine chirographo?

Ad Qvintiam.

Dixi te Venerem, atq; ultra ipsum Amathusidos orbē
Te evexi lepidis Qvintia carminibus.
Dixi majorem te Cypride, Qvintia, per me &
Pastoris Phrygii futile judicium est.
Digna mihi tanto qvæ præmia nomine reddes,
Qvintia? da saltem ut in te habeam Venerem.

In Bruscum.

Qvid tot criminibus, rabiosæ fulmine lingvæ
Fœmineum incessis, Brusce proterve, secus?
Desine clamorem. nam qvò convitia tanta?
Unum pro cunctis sat tibi criminibus.

Uno

Uno hoc nil gravius, qvo uno simul omnia dices:
Te talem genitrix fœmina qvot tulerit.

In Trollium.

DIvini mentem Theophrasti jactat habere
Trollius, aureolâ clarus ab arte senex.
Jactat Trollius, & credit plebs inscia: rident,
Qvêis vel aceti acri in pectore tantulum inest.
Rideo ego cum illis: meritó. nam qvi Theophrasti
Mentem habet, an qvæso mentem habet ille suã?

In Chrysalum Alcumistam.

MIramini, Cives, ubi ille paulló anté
Tantis abundans opibus, omnium sed nunc
Extremè egens, tam subitó ad incitas actus,
Tam divitem perdiderit Chrysalus gazam?
Decoxit: at non qvomodo solent vulgó.
Arte ipse, non luxuriâ & otio turpi
Rem fregit, in fornace Chymicâ magnis
Sese occupans laboribus diu noctu.
Mirum sed id qvoq; per laborem & artem qvêi
Sit pauperatus, ceteri unde ditescunt?
Neqvit esse mirum hoc: ars enim & labor solus,
Studium unicum fuit usq; Chrysalo vestro,
Ex ære fumum facere, rursum & é fumo
Facere metallum, operæ reciproco anfractu.

Itaq; aureos grumos sibi nitelasq;
Dum qværit é fornace, qvidqvid infelix
Habuit bonorum, percoqvendum avaro igni
Projecit, & damnavit improbo fumo.
Nunc é favillis eq; cinere carbones
Legit nigrantes pro nitente thesauro.

In Ollum.

NUllius pæné ingenii dixti esse, superbé
Qvod jam annos plures, Olle, minaris opus.
Credo eqvidem: & dubitat nemo, qvod cuserit Ollus,
Olle, fore id veré nullius ingenii.

In Hillum.

DUm te oculis mage amare suis se Blandia dicit;
Dum, mì ocule, assiduâ voce tibi ingeminat:
Sese oculis mage amare tuis te Blandia cogit,
Et, mi ocule, æqvali voce sibi ingerere.
Inde his blanditiis blandum te ut Blandia fecit,
Maxima fert blandis præmia deliciis.
Muneribus mox læta; ocule ô mi, ômi, inqvit, ocelle:
Usq; tibi & solitas blanditias iterat.
Hille nihil sentis? non te sed munera spectat;
Non oculis capitur Blandia, sed loculis.

THER-

THERMIONILLA
Ad Juventium Philocurum.

Cui mea forma placet pariter, formaq; placere
Qui mihi, formoso candidus ore, studes:
Victus ut es veluti formâ, sic me quoq; formâ
Vincere, formoso callidus ore, queas:
Hoc tibi transmitto, juvenis formosule munus,
Munus & ut capias Thermionilla precor.
Munus vile quidem, sed quo magis utile nullum
Aut possit votis aptius esse tuis.
Formosus cupis esse, cupis formosus haberi:
Ut sis, hac formam conciliabis ope.
Ut placeas mihi, conaris: conare, placebis:
Ut capias, tendis retia: tende, capis.
Tende, capis: formæq; novo, quem quæris, honore
Me vinces, quæ te viceram & ipsa prius.
Vinces me: aut potius, quādo hoc me munere vinces;
Me vincam, quæ te viceram & ipsa prius.

Ad Psychen.

Hine oculi? per quos vibrans sua spicla Cupido
Sæva meis fixit vulnera pectoribus?
Hósne oculos mihi vita negas, é lumine quorum
Haurio grata meis pharmaca vulneribus?
Hósne oculis ego ferre queo, de nectare quorum
Attraho dira meis pabula vulneribus?

Fatales

Itaq; aureos grumos sibi nitelasq;
Dum quærit é fornace, qvidqvid infelix
Habuit bonorum, percoqvendum avaro igni
Projecit, & damnavit improbo fumo.
Nunc é favillis eq; cinere carbones
Legit nigrantes pro nitente thesauro.

In Ollum.

NUllius pæné ingenii dixti esse, superbé
Qvod jam annos plures, Olle, minaris opus.
Credo eqvidem: & dubitat nemo, qvod cuserit Ollus,
Olle, fore id veré nullius ingenii.

In Hillum.

DUm te oculis mage amare suis se Blandia dicit;
Dum, mi ocule, assiduâ voce tibi ingeminat:
Sese oculis mage amare tuis te Blandia cogit,
Et, mi ocule, æqvali voce sibi ingerere.
Inde his blanditiis blandum te ut Blandia fecit,
Maxima fert blandis præmia deliciis.
Muneribus mox læta; ocule ô mi, ô mi, inqvit, ocelle:
Usq; tibi & solitas blanditias iterat.
Hille nihil sentis? non te sed munera spectat;
Non oculis capitur Blandia, sed loculis.

THERMIONILLA Ad Juventium Philocurum.

CUi mea forma placet pariter, formaq; placere
Qui mihi, formoso candidus ore, studes:
Victus ut es veluti formâ, sic me quoq; formâ
Vincere, formoso callidus ore, queas:
Hoc tibi transmitto, juvenis formosule munus,
Munus & ut capias Thermionilla precor.
Munus vile quidem, sed quo magis utile nullum
Aut possit votis aptius esse tuis.
Formosus cupis esse, cupis formosus haberi:
Ut sis, hac formam conciliabis ope.
Ut placeas mihi, conaris: conare, placebis:
Ut capias, tendis retia: tende, capis.
Tende, capis: formæq; novo, quem quæris, honore
Me vinces, quæ te viceram & ipsa prius.
Vinces me: aut potius, quādo hoc me munere vinces;
Me vincam, quæ te viceram & ipsa prius.

Ad Psychen.

HIne oculi? per quos vibrans sua spicla Cupido
Sæva meis fixit vulnera pectoribus?
Hósne oculos mihi vita negas, é lumine quorum
Haurio grata meis pharmaca vulneribus?
Hósne oculos ego ferre queo, de nectare quorum
Attraho dira meis pabula vulneribus?

Fatales

Fatales oculos! qui vulnera, quiq; medelam,
Atráq; dant læſis toxica pectoribus.
Tu tamen hiſce oculis quæ me perdisq; juvasq;,
Perde juvaq; tuis me, mea lux, oculis.

Ad Venerillam.

Lux mea, quó tam mané? Mane: nondum orta
Diva polo in rutilis Leucothoë rotulis. (refulſit
Sic ego: ſic mea lux. Abeo. jam præſcia lucis
Clariſono cantum gutture dat volucris.
Hæc monet Auroram Tithoni abſcedere lecto;
Nos Aurora torum deſeruiſſe monet.
Tantum ait, exſiliitq; toro: ſimul æquore ab alto
Aurora uvidulas viſa referre genas.
Aſt ego. Sis Aurora aliis; ſis aurea lucis
Mater: mî noctis flebilis es genitrix.
Lucem aliis Aurora feras; Aurora tenebras
Fers mihi, dum lucem cogis abire meam.




EPI-

EPIGRAMMATA ALIQVOT E GRÆCIS LATINA.

Rufini.

Hanc sertam Rhodoclea tibi pulcerrima mitto,
Ipse meis tibi quam composui manibus.
Lilia sunt, roseusq; calyx, suavisq; anemona,
Sunt cum Narcisso pallidulæ violæ.
Hac ornata comas animum depone superbum:
Floret ut hæc, flores: ut perit illa, peris.

Eiusdem.

Usq; negat se ardere Melissias ipsa: sed ardet:
Hoc facies multis usta docet facibus.
Hoc gradus instabilis docet, hoc vagus oris anheli
Spiritus, hoc trepidis moti oculi ciliis.
At vos illam acres Paphiæ genitricis Amores
Urite, donec Amo, donec Amo ingeminet.

Eiusdem.

Mæonin ut vidit Juno, viditq; Minerva,
Utraq; continuó his vocibus insonuit.
Ne jam nudemur; sat pastor is arbiter unus:
Judicio formæ turpe bis excidere.

Eius-

Eiusdem.

LUmina Junonis tibi sunt, tibi dextra Minervæ,
Sunt Veneris mammæ, sura tibi est Thetidos.
Qvi videt ô felix! qvi te audit, ô ille beatus!
Semideus sed amat; sed qvi habet, ille Deus.

Meleagri.

TErnæ sunt Charites, ternæ Horæ: ac me qvoq; triplex
Fœmineo torqvet sævus amore furor.
Ipse & Amor ternos capit artus, ceu ferus in me
Perdere non unum sed tria corda velit.

Eiusdem.

IGnem ipsum si qvis cupis urere, sive qvis igne
Expetis extinctas rursúm animare faces:
Huc age, ab hac anima flammam rape: Namq; mihi intus
Flagrat multifidis cor trepidum faculis.

Antipatri.

NE lacrumis speres, Telembrote, flectere Amorem:
Haut paullâ vehemens stingvitur ignis aqvâ.
Uno auro mollescit Amor: nam tum nec in undis
Deperiit, natus cúm fuit in pelago.

Callinii.

PRole & luce carens, prolem lucemq; precatur
Fœmina: sollicitis & potitur precibus.

Mox

Mox etenim prolem parit, & sub tempore eodem
Lucem haurit, sanis perfruiturq; oculis.
Duplex auxilium hoc uni attulit Artemis una,
Dans oculis lucem, dans utero subolem.

Rufini.

N*On amor is veré est, si cui bona forma puellæ*
Ridet, & intentis si appetit hanc oculis:
Sed qui deformem videt, atq; Cupidinis æstro
Percitus insano deperit illam animo:
Ille amor, ille ignis veré est. Nam forma decora
Et stultos pariter permovet & sapidos.

Agathiæ.

L*Ux mea si citharam sumit, canit æmula carmen,*
Terpsichore argutis qvale canit fidibus.
Lux mea si in grandes assurgit voce cothurnos,
Melpomenæ tragicos par ciet ore modos.
Lux mea si formâ certet, formam ipsa Dione
Vel Paride Idæo judice non superet.
Lux mea: sed taceo, ne te ô Ariadna, Lyæus
Mox Ariadnæos transferat in thalamos.

Macedonii.

T*Riste mihi ulcus amor: sanies fluit ulceris uda*
Lacruma, nec siccum vulnus habere datur.
Nec sanare malum qvisqvam potis: ipse Machaon
Nil profecturis pharmaca det manibus.

Telephus,

Telephus, en, sum Nympha: mihi esto fidus Achil-
Quaq; dabas formâ vulnus, opem referas. (*les,*

Silentarii.

Iurabam, mea lux, procul á te solus abire
Hinc ad bissextam, ô Juppiter! usq; diem.
Sed miser haut potui: & saltem lux altera venit,
Et procul ô procul est lux decima: heu procul est!
Tu mea, posce Deos, perjurus ut ipse reorum
Ne memores referar continuó in tabulas.
Meq; favôre tuo resove, ne hinc inde flagellis
Torqvear infelix: hinc Superûm, inde tuis.

Eiusdem.

Qui prius in viridis jucundo vere juventæ
Duro animo, Veneris dulce jugum renui.
Hactenus á jaculis qvi vixi illæsus Amorum,
Cypri, feré canum, en, nunc tibi dedo caput.
Suscipe me & gaude. doctã mage namq; Minervam
Nunc superas, pomo qvám prius Hesperidum.

Posidippi.

Sedi inter binas solus mediusq; puellas,
Hanc illarum adamans, isti adamatus ego.
Sed me adamans me attraxit: ego rursũ ut tacitus
Clám rapui alterius basiolum á labiis; (*fur,*
Vicinæ fallens oculos: ne me incita zelo
Carperet, aut penitus rejiceret miserum.

Hinc

Hinc dixi commotus: Amari triste, ut amare est:
Utq; amor hic geminus, pœna mihi hæc gemina est!

Eiusdem.

O *Sævum hoc desiderium, precor, Heliodoræ*
Tolle Amor: en supplex fit mea Musa tibi.
Obsecro per tua tela, alios indocta ferire,
Sed nimis heu pectus docta ferire meum.
Quód si me occides; versũ hunc mea fata loquentur:
Ecce trucem cædem, en hospes, Amoris opus.

Meleagri.

P*Rædico crudelem, crudelem prædico Amorem,*
Jam jam etenim summo mané toro exsiliit.
Dulcacidus puer est, & garrulus, est celer alis,
Risum amat, est audax fert humero pháretram.
Sed patre qvo genitus sit non scio. namq; nec æther,
Terra nec hunc genuit, nec genuit pelagus.
Omnibus est, & ubiq; odio. Sed ubiq; cavete,
Ne qvá alios tendat forté animis laqveos.
Et sané ecce novas latebras: Non me latuisti
Callide, Zenophilæ in luminibus residens.

Agathii.

S*Æpé vale tibi dicturus, mox retraho vocem,*
Et taceo & tecum perpetuúm maneo.
Namq; tui grave discidium sic horreo, ut ipsum
Orcum Acherontæis horreo cum tenebris.

Clara dies mihi sunt oculi tui: at hi quotq; muti
Oris sed blandum me beat alloquium.
Illud carminibus Sirenum dulcius, á quo
Spes animæ pendet vivaq; vita meæ.

Eiusdem.

IPse merũ haut cupio: at si vis haurire merum me
Tu prior id gustans, da mihi, & accipio.
Namq; tuis labiis si libes, sobrius esse
Non queo, pincernam aut spernere tam lepidam.
Suaviolum ipse tuo cyathus mihi portat ab ore,
Quemq; saporem hausit, nuntiat inde mihi.

Dionysii Sophistæ.

O Utinam ventus fiam, tuq; aëra captans
Spirantem nudo pectore me excipias!
O utinam Rosa sim, tua me quó dextera carpat,
Insertumq; sinus candiduli foveant!
O utinam niveum sim lilium, ut & teneas me,
Lumina & adspectu nostra tuo saties!

Mæcii.

IUravi binas noctes procul Igne meo ignem,
Ferre tuum: at rides Cypria, jamq; meum.
Prænoscis bené certa malum: nam linquere amicam
Non queo, & in ventos dicta mea effugiunt.
At peccare ob eam potius volo, quám tibi servans
Juratum, infaustâ præ pietate mori.

Ejusdem.

Ejusdem.

QVid triſtare, comã ſævoq́ qvid ungve, Philæni,
Vellis, & humidulis projicis imbrem oculis?
Anne aliam fovet in gremio malé fidus amator?
Dic age: læta feres pharmaca triſtitiæ.
Fles tamen! atq́ taces? fruſtrá illa negare laboras;
Vana fides lingvæ, certa ſed eſt oculis.

Antipatri.

MAné mea hinc Chryſilla abiit, dum nuntia lucis
Excitat Auroram voce ſuâ volucris.
Galle peri, inter aves reliqvas nimis invide, qvi tã
Crebró abigis molles hinc mihi delicias.
Tu qvoq́ jã ô Tithone ſenex! qvid enim tua conjux
Se tam mané tuo proripit é thalamo?

Silentarii

NEc roſa eget ſerto, nec tu pulcerrima peplo:
Nil facit ad nitidas gemmea vitta comas.
Gemma tuo ſordet ſuperata colore; nec aurum
Qvit vel inornatæ ferre comæ radios.
Inda qvidem excellit rutilo ſplendore hyacinthus,
At ſplendore tui eſt luminis inferior.
Roſcia qvin labia, & mellito tincta lepore
Harmonia, eſt Divæ ceſtus Acidaliæ.
Omnibus hiſce domor, ſolis oblector ocellis,
E qvibus effulgens ſpes mihi clara micat.

IN NOMEN ACIDALII EPIGRAMMA.

VIx te naturæ laxatum carcere cœco
Lucina æthereis haustibus imbuerat:
Nectareo tenerum mox lustrat Juppiter imbre,
Musæ Castalio purificant latice.
At Venus, haut satis hoc, tacitis immurmurat auris:
Tu qvoq; tu nostro aspergine lautus eris.
Et simul infantem leni complexa susurro
Obstetricantis surripit é manibus,
Fontis Acidalii ponens juxta alma fluenta,
Quá in medio Charitum ludit amicus Amor.
Heic tibi blandidulosq; oculos, & sæpta labrorum,
Molliculasq; manus, molliculosq; pedes
Abluit aspersu undarum, internosq; recessus
Irrigat, & succum stillat in ima animi.
Stillat in ima animi: & meus ergo vocaberis, inqvit,
Matris Acidaliæ fœtus Acidalius.
Nomineq; ut notus nostro, sic ipsa vicissim
Nomineq; & genio mox ero nota tuo.
Applausere cohors Charitum, nomenq; iterarunt,
Vivat Acidalius, vivat Acidalius.
Fallor an hic patris fusus tinnitus in aures
Indidit inde tibi nomen Acidalii!

MARTINUS BRASCHIUS.

VALENTIS
ACIDALII
JANUS QVADRIFRONS
IN
HORTUM.
LAURENTII SCHOLTZII
Medici Wratislaviensis.



Bb 3 CLL

CLI. VV.

JO. MATTHÆO WACKERO
&
NICOLAO RHEDIGERO

VAL. ACIDALIUS.

SCHOLTZIO ego, vovis dat SCHOLTZIUS. Auctor uter jam
Muneris? ille caput sané, ego pes clueam.
Sed neq; pes tantúm, verúm caput ipse qvoq; ipsum:
Namq; & ego vobis do simul illud idem. (ullis
Illud idem, qvod cum ipso unà magis haut cupiam
Qvám WACKERE tibi, RHEDIGER atq; tibi.
Vester hic ergo utriusq; ab utroq; est JANUS, uterq;
Pané inqvam: cuncta ut singula congeminent.
Et recté. hic duplex bis bifrons Janus: ut illum
A binis binis fas sit utrinq; dari.
Ut damus, accipite: & commune id munus amate,
Communes vobis ipsi ut amore sumus. (dem est,
Vester SCHOLTZIUS est jam pridem: non ita pri-
Perpetuó sed erit vester ACIDALIUS.
Vos tantúm este mei pariter, pariterq; vicissim
Mi date vos, vobis qvo me animo ipse dedi.

JANUS QUADRIFRONS CUSTOS

HORTI SCHOLTZIANI AD HOSPITEM.

QVi qvadriformem qvadrifrontem me vides,
Ridere noli, noli item mirarier,
Sum JANUS antiqvissimos inter Deûm.
Istius Horti *curam, & hujus Pergulæ*
Tutelam Herus *me oravit; exhibeo lubens,*
Qvia me colit, qvia thure, vel vino mihi,
Libo, aut corollâ, aut semper aliqvi supplicat.
Condigno honori reddo condignam vicem.
Inspicio qvoqvoversus hortum: id sedulò;
Magé sedulò eccam tueor istam pergulam.
Non limini asto, sed locum hic medium occupo:
Hinc servo. veterem migro consvetudinem:
Sic vult herus, sic ipse melius censeo.
Prospectus hinc qvamcunq; mî in partem patet
Per januam qvamcunq; sunt hæ quattuor:
Hâc nempe caussâ factus ipsus qvadrifrons.
Nam vulgus antehac modò bifrontem noverat.
Sed vulgus ignarum nec illud noverit,
Qvadriforis exemplum hoc ad ipsum pergulæ

Janos fuisse antiqvitus creberrimos,
Janos patentes transitu qvadruplici.
Tu noveris, docte hospes: & Janum tamen
Me duplicem malis vocare, an simplicem
Sed bis bifrontem, ciccum ego haud interduim.
Tuus arbitratus sit: ego controversiam
Non movero ulli: nemo sed litem mihi,
Nemo alteri faciat volo caussâ meâ.
Hoc ergó primúm edico: nunc alia accipe,
Ipsâ prius de Pergulâ, mox de Hortulo.
Huc ingredi qvivis cave te postules.
Nisi herilibus qvi sunt initiati sacris;
Musarum id est, & Phœbi, & AsclepI sacris,
Et Gratiarum, & Veneris, & Floræ sacris;
Exesse jubeo, liminiq; absistere.
Odi profanum vulgus & procul arceo.
Hæc pergula ædes est, sacellum est: hîc herus
Studiorum habet domicilium, habet sapientiæ:
Naturæ in hoc arcana scrutari solens,
Nova, mira qværens, anté nulli cognita.
Sed & otii sedem hîc, sed & reqvietis hîc,
Atq; hilaritatis sedem habet lætissimam.
Hîc svetus animum solus, hîc cum æqvalibus,
Hic cumq; amicis, cumq; longinqvo hospite
Laxare doctis musicis sermonibus.
Locus hic joci, convivii qvin hic locus,
Modici & modesti sed tamen convivii:

In

In qvo sit unà Phœbus, in qvo Virginum
Cœtus sororum ter trium, atq; iterum trium
Accumbat unà: qveis & interdum simul
Admitto Comum, admitto Bacchum; at sobrios,
Aut limites intra pudentes ebrium hunc,
Illum verecundè jocosum & garrulum.
Sin fabulis, sin poculis, lascivius,
Liberius indulgere video; mox forás
Illum, vel hunc, vel utrumq; simul elimino.
Monitum memineris, qvisqvis hic conviva eris.
De Pergulâ tantum est, qvod edictum omnibus
Cupio, minutis, maximis, medioximis:
Et si alia sunt, qvæ persequi haud opus arbitror,
Dignum loco, dignumq; se qvid sit, putet
Sibi qvisq; secum: nunc dabo legem Hortuli.
Primùm initus huc liberior est, est ambitus,
Sed nec cuivis, sed nec omni tempore,
Sed nec cuiq; ex arbitratu adeó suo.
Ne qvi insciens pecces, habe cuncta ordine.
Licet & virili & seqviori sexui
Introire, dum liceat per ætatem tamen.
Qvibus hæc negat, custos sit & dux additus:
Ita & his licuerit. si aliter admitti volent,
Pueri, an puellæ venerint; frustrá volent.
Maturiores, nisi familiares erunt,
Nisi erunt amici, nive notorem dabunt,

Nive hospites hic tesseram secum adferent;
Excludo & ipsos. Virgo, matrona, institam
Induti, pallámve, aut stolam, aut aliud genus,
Cui syrma post tergum trahatur longius,
Tragicam abice vestem protenus. si id rennuis,
(Ut gratiam faciam hanc pudori :) saltem age
Attolle caudam pendulam : aut i in rem malam
Mala pestis horti vos & exitiabilis.
Jam tempus adventus & horam commodam
Vis scire de me ? eqvidem ipse non plané scio.
Hora alia & alia est, certa finiri neqvit :
Eadem nec omni est tempore opportunitas.
Ab Hero ista pendent : i, pete illinc tempora,
Et temporum articulos, ita injunxit mihi
Injungere aliis. cúm hic dabit veniam, veni.
Sed jam venis ? ingredere felici pede.
Dum ingrederis, Horto bené precare, & Hero bené,
Bené mihi qvoq; etiã: aut te retrorsum abigo malé.
Ingressus, hic qvadrata vel per compita,
Pulvillulorum vel per alios ordines
Licet ambulas, errantibus vestigiis
Multiplicis anfractus legens relegens viæ,
Sed pendulâ plantâ atq; sollicito gradu,
Ne forté temeré hic qvod satum aut natum obteras.
Nimio labore & sumtibus nimiis hero
Ipsæ herbulæ ac cultura earum constitit.

Nam

Nam quod vides cunq;, omne pæné exoticum,
Advectum ab oris orbis amoti procul,
Procul orbe nostro, procul & hoc sole & solo:
Ex Italorum transditum viridariis,
E Græcieq;, Hispaniaq;, & Galliæ,
Ex Indiæ penitissimæ, atq; ex Arabiæ.
Tum qvid qvid est, Domini laboravit manus:
Herus ipse sevit, coluit ipse. hinc scilicet
Vegeta illa vis ortûs, & auctûs facilitas,
Felicitas hinc illa florum & fructuum,
Hinc nitor & ordo, hinc omnis Horti est indoles,
Hinc majus herbis pretium, & hinc pretium hortulo.
Cauté ergo, cauté ne qvid oblædas cave.
Transcurrere hinc inde immodestê, atq; in modum
Lascivientis pervagari hædi abstine.
Cui pruriunt magé liberum ad motum pedes,
Alium sibi reperito cursuræ locum:
Nisi vult fricari sic benigné & molliter,
Pruritus ut tandem in dolorem transeat.
Hæc dicta lex, hæc dicta pedibus pœna sit:
En manibus etiam hanc accipe. Etenim qvód putes,
Si qvid placebit, tangere hoc aut tollere:
Cave fueris ausus. nil tibi uti, nil frui
Fas, nisi vel oculis, nisi vel ipsis naribus.
Qvi doctus herbas carpere, & flores tamen
Non imperitus legere fors advenerit,

Uni

Uni liceto carpere & legere unico :
Verúm apta, verúm pauca, verúm haut optima.
Augusta sunt hic spolia spoliatori huic :
Angusta sed sat præda prædatori huic.
Reliqvi manum intra togulam habento. Si tagax
Extuleris ad tactum qvis, aut raptum rapax ;
Rapieris & tangeris, ut tetigisse nil,
Rapuisse nil, venisse sed nec mavelis.
Neq; moliens qvid me latebis nescium.
Non sum Argus eqvidem, sic sat oculatus tamen :
Qvócunq; agis te, video te, & qvodcunq; agis.
Non sum Draco Massylus, advigilo tamen :
Qvandoq; vis, conare; nunqvam obrepseris.
Vos moneo, vos præ ceteris iterum ô meæ
Moneo puellæ, parcite horto, parcite
Vobismet ipsis. novi ego, ut sitis malæ
Merces avaræ mercium istiusmodi :
Svetæ qvidem, qvas fertis intró ad nos sinus
Dextrasq; steriles, ferre pòst gravidas forás.
De more caprarum omnicarparum omnia
Sævo involantes ungve sine more & modo.
At nil corollis hîc, nihil struppis satum :
Nullo hinc amator, sponsus hinc nullo potest
Munusculo gratiusculo donarier.
Si qvam cupido, si lubido coëgerit
Audaciter tentare qvid nihilominus :

J. m

Jam pœna præsest. Pœna quæ sit, quæritis,
Cúm hîc nulla vobis pareat, quæ alibi assolet,
Obscena virga hortensis obsceni Dei?
Nil sané habere istum hîc herus voluit loci.
Penita namq; hæc pœna, pœnæ nil habet
Consimile penitus, quam vel ultró multæ ament.
Neq; talis aut vos, aut herum sat decuerit.
Sed pœna prӕstó est alia: me, me cernite,
Hoc ore ego vos quadriformi per vices,
Hoc tam ore vario tamq; deformi senex
Vestra ista formosa & nimis lepida oscula
Sic basiando suaviando conteram,
Fecisse uti pœniteat ex animo statim:
Nec basiandi suaviandi pausa erit
Tamen anté, quám junctis urgenti mihi
Venerem per ipsam, perq; Amorem ipsum simul,
Vestros per oculos, perq; amatoris simul,
Non facinus unquam deinde facturas idem.
Jamq; autumo edictum satis, queis legibus
Tenuisse sese adventor omnis debeat.
Vos modó tenete: atq; oribus jam singulis
Ut finiens moneam iterum & iterum singulos:
Vir, juvenis, adolescens, puer; tum deinde tu
Matrona, virgo, puera; quisquis, quæq; eris;
Factum bonum, hæc edicta uti serves mea.

De Horto Scholtziano.

Liqverat antiqvas nuper Venus aurea sedes,
Visura Arctoas corām aliqvando plagas:
Et veniens spissâ comitum stipata catervâ,
Secum in iter Divos traxerat atq; Deas.
Ibat Apollo simul, Musæ simul, & simul Horæ,
Flora simul, simul & Gratiæ, Amorq; simul:
Turbaq; magna Deûm mihi non numerāda minorū,
Semper Heræ Veneris sueta satellitio.
Dūq; viam faciunt pariter, dumq; omnia lustrant,
Etsi culta minus, sat tamen ora placet.
Nec crudeli adeó damnata rigore videtur
Frigoris, aut tristi sqvallida sic habitu.
Néve foret; vitalem auram, vegetumq; calorem
Afflantes, facie cuncta novâ exhilarant.
Qvá posuêre pedem, sentit sua munera tellus,
Sentit & ipse aër, sentit & omne animans.
Tandem agros urbésq; emensi ex ordine plures,
Attingunt terræ rura Silesiacæ.
Hæc qvoq; terra placet. Veniūt ad mœnia Breslæ:
Breslæ, qvam caput hæc cetera terra colit.
Vix illô ingressis nimis ac nimis Vrbs placet: una
Omnibus ante omnes digna videri alias (hæc
Visa: magisq; magisq; hæc merces sola laboris,
Et tantæ pretium censa lucrumq; viæ:

Unaq;

Unaq; præ cunctis cunctorum dona mereri:
Quæ dant munificâ maximo quisq; manu.
Dona sed hic memorare brevi non omnia versu
Fas mihi: sed nec fas hoc memorare loco.
Unius ipsa adeó Veneris jus fasq; referre:
Belli puelli paræ quæ subitó esse dedit
Primo etiam aspectu: mox dein reliquisq; sibiq;
Certans, plura dedit, plura datura fuit:
Cúm tandem exhausto, fuerat quodcunq; venustum,
Thesauro é tanto nil superesse videt.
Et videt, & simul hæc: Quando nihil ergo venustũ
Jam Veneri superest, est super ipsa Venus.
Ipsa Venus mihi sola supersum, & deniq; totam
Me quoq; donavi, cùi mea cuncta dabo.
Me sibi BRESLA *habeat: porró hic habitare, per orbẽ*
Et reliquum populis hinc dare jura juvat.
Idalium, Paphos, atq; Amathus, atq; alta Cythera,
Et vos cetera nunc regna valete mea.
BRESLA *mihi jam dehinc regnũ. Vosq; ipsa valete*
Nomina prisca: novo nomine macta cluam.
Sum BRESLÆA VENUS, VENUS & BRESLÆA *vo-*
Gaudeo: & agnosci, & dici ea sola volo. (cari
Dixerat: & reliquos pariter dicentis ab ore
Pendentes miro moverat eloquio:
Affectuq; adeó illo eôdem succenderat omnes,
Capta suo capiens rursus amore suos:

Nullus

Nullus ut hac porró vellet discedere ab urbe,
Perpetuus Veneri sed remanere comes.
Certatim ergó igitur plaudunt, atq; ore manuq;
Signa animi istius dant manifesta sui.
Jamq; omnes studioso oculo uná cum Venere ipsâ,
Solliciti Veneri sollicitiq; sibi,
Sedem aptam circumspiciunt, & idonea Divis
Hospitia, imó ædes perpetuamq; domum.
Tum Phœbus: Qvid opus trepidâ sic qværere curâ
Qvæ præstó est? præstó est certaq; & apta domus.
Provida nimirum hanc jam pridem fata pararunt:
Qvam nostro tandem noscite ab indicio:
Ni tamen & plures vestrûm jam nostis inanté,
Qvod reor: & caussa est cur ita jure rear.
Namq; tibi Venus, & tibi Flora, & deniq; vobis
Horæ, & cognata his Numina vos alia:
Vobis, hortorum cura est qveis propria, credam
Hortum notum unum scilicet esse minus?
Atq; Hortum illum adeó, vesterq; meusq; sacerdos
Urbe hîc qvem media SCHOLTZIUS *ille colit:*
SCHOLTZIUS *ille, mihi vobisq; meæq; cohorti,*
Et reliqvis Divorum omnibus ordinibus
Communis cultor, communi idem omnibus unus
Carus amore simul, clarus honore simul.
Nec dum finierat, & plura parabat Apollo:
Sermonem rumpens cui medium ipsa Venus:

Sat

Sat de utroq;, inqvit, nec plura moramur, habemus.
Et mihi jam notus SCHOLTZIUS *& reliqvis :*
Nec cuiqvam ignotus vel per famā illius HORTUS,
Qvem jam illa Eois didit & Hesperiis.
Sed dum urbem ipsam adeó atq; alia hic opera admi-
Nostrum illud nobis excidit obstupidis. (ramur,
Tu veró memor unus, age ó, habitacula jam nunc
Monstra, & ad optatum dux celer esto locum.
Dum Venus hæc, reliqvi assensu fremuére secundo:
Nec mora, præcipiti cursu inière viam.
Provolat extra aliam turbam plaudentibus alis
Hei levis ille Puer, sed gravis ille Puer.
Jamq; propinqvantes horto, cuncti agmine denso
Festinant cupidis gressibus irruere.
Sed retinet dux Phœbus, & ordine qvemq; decente
Admittens, tribuit mox sua cuiq; loca.
Prima VENUS *regina Horti fit, proxima* FLORA,
Deinde Horæ & Charites, deinde Amor & reli-
Ipse sibi Musisq; magis secreta reservans (qvi.
Eligit augustum Cynthius atriolum.
Et præ Parnasso præq; omnibus anté-viretis
Hic porró instituit docta cohors colere.
Tum choreæ plaususq; & totum festa per hortum
Gaudia : lætitiæ perpetis auspicium.
Huc venisse juvat, porró hic habitare juvabit :
Hic DEUS, *hic* DEA *sum, qvilibet ingeminant.*

Hîc Venus ipsa sibi placet: hæc viridaria cœlo
Mutare exhinc jam nolit & ambrosiâ.
Hîc florere sibi, hîc veré sibi Flora videtur,
Et Zephyrei horti jam meminisse pudet.
Hîc Horæ sibi gratantes tempe omnia spernunt:
Hîc & ovant Charites, hîcq; triumphat Amor.
Hîc vulgus reliqvum non jam se vulgus haberi,
Jamq; Deûm nulli hac cedere sorte putat.
Hîc omnes qvæcunq; alibi tenuêre per orbem
Singula, in uno unâ cuncta loco inveniunt.
Qvandoqvidem hîc Natura simul parvo omnia gyro
Clusit, qvæ vario sparsit ubiq; solo.
Nam qvid ego per singula eam prolixius? aut qvid
Summa adeó ulterius jam capita ipsa seqvar?
Non mihi sedem ipsam atq; hortum describere talem
Mens fuit: in qvod nec vis siet ulla mihi:
Saltem cultores urbisq; hortiq; referre,
Indigetes porró dehinc utriusq; DEOS.
Qvos, ut possem cunq;, mei mihi nominis auctor
Sic narrare fuit auctor ACIDALIA.
Et jam nil reliqvum, nisi corde atq; ore favere
Urbi, urbisq; Horto, hortiq; simul Domino.
BRESLAM igitur felicem, urbs qvæ una ita Numina amore
Tot cepitq; sui, capta tenetq; sui!
Atq; HORTUM felicem, urbis qvi totius una
Digna tot est sedes atq; ita grata Diis!

Et

Et DOMINUM *felicem, horum hæc collegia Divûm*
Hic statuêre suum qvem sibi semper-Herum!
Sis felix ô BBESLA *tuâ* VENERE *usq; venusta,*
Et dio reliquûm dia Deûm hospitio.
Sis felix ô HORTE *tuâ Venere usq; venuste,*
Et FLORA *flore floridus usq; tuâ.*
Tuq; HERE sis felix: ter felix, terq; beate
Hac Patria, hoc Horto, Diisq; tot hisce tuis.

VALENS ACIDALIUS
Phil. & Med: Doctor.



VALENTI ACIDALIO
WISTOCHIENSI
MARCH.
PHILOSOPHO ET MEDICO,
POETÆ QVINETIAM
EXCELLENTI,
INGENII ET JUDICII EX-
QVISITI VIRO,
GENUINÆ LATINITATIS
VINDICI,
LITERARIÆ REIPUB.
ORNAMENTO,
SED
CUM PLENO JAM GRADU AD
ERUDITIONIS ET GLORIÆ
CULMEN CONTENDERET,
FATIS PRÆVENIENTIBUS
INTERCEPTO,
AMICO GERMANUM IN MOD.
HOC
PUBLICUM GERMANÆ FIDEI
TESTAMEN,
ET AMICITIÆ PLUSQ. FRATERNÆ
MONIMEN SEMP.
PONO
DANIEL RINDFLEISCH BUCRETIUS
PHILOSOPH. ET MED. DOCT.

Melos

MELOS IN OBITUM

VALENTIS ACIDALI

MARCHIACI, VIRI-JUVENIS
ingeniosissimi & elegantiss.

Ad

IGNATIUM HANNIELEM
Marchiacum JC. &
Philologum.

HUmana cunctos scit ratio feré
Levare morbos unica mentium,
Angoribusq́ corda sæpé
Sollicitis soliisse gaudet.
Fortunæ at hujus tam patulum atq; tam
Est ulcerosum vulnus; ô HANNIEL
Carum mihi, carumq́ Musis,
Atq; viris caput eruditis,
Illi cicatricem eloqvio ut tuo
Obducier vix flexanimo rear
Potesse. Fors sit ut dies hunc
Longa aliqvando hebetet dolorem.
Longinqviori tempore nam malis
Venire finis adsolet omnibus.
Solantium at nunc verba frigent,
Consiliis neq; surdus aurem

 Novit

Novit vacivam attendere. Tertius
Præstantioris de Criticis notæ
Hic luctus est, heu, nostræ ocellis
Teutoniæ, genitalis oræ.
Nê robur ejus aésqve reor triplex
Circa esse pectus, qvi malé duricors
PALMERIUM se cumq; sperat
Luminibus memorare siccis.
Palmerium; qvi cúm Criticum genus
Acerrimi vi vicerat ingenI, &
Præstringeret cunctos, ut ortus
Præmicat astra minora Phœbus.
Et Gallus ultró, Belga, Italusq; jam
Fasces ei submitteret, atq; qvot
Sunt, aut fuerunt eruditi,
Aut aliis aderunt in annis
Posthac, honorem se omnimodis huic
Deferre vellent: pestilitas eum
Maligna derepente nobis
Sustulit ætheriis ab auris,
Argentoratum cúm decus urbium
Germanicarum inlustre, Giphanii
Nostri salutandi; sinistris
Alitibus fuerat profectus.
Qvantum, GIPHANI, qvantum age literis
Tum perdidisti præsidium? heu mihi,

Tuum

Tuum inclito Palmerio illi
Conloqviúmne stetisse tanto ?
Brevi huncsecutus flos GULIELMIUS
Aurêus Lubecæ, Teutonicæ inclitum
Sidúsqve, & idem dulce nostris
Præsidiúmqve decúsqve Musis.
Adflictiones post age totjugas
Tantasq́, dic, qvis non patientiam
Existimet me, utcunqve tamdem
Indocilem, didicisse ? At ipse
Qvó me ægriorem casus hic invenit
Magis dolere repperior. Tuus
Namq; ACIDALIUS simul mî
Dicitur, heu! moribundus isse,
Longinqva qvêis jam nunc diuturnitas
Gratum stuporem fecit, ab integro
En cuncta crudescunt malorum.
Ictus enim veteres dolore
Plagas recludit fermé novissimus.
Exempla non ignoro ego plurima
Mihi heic inanté posse poni,
Qvi tulerint mala cuncta mente,
Qvâ ferre molles non deceat viros.
Nec sic per omnes DEINIDAM dies
Luxisse (ceteros silebo)
LIPSIUS in Grudiis refertur.

Constantiâ verúm esse eâ oportuit,
Constantiam qui jam cupiebat ad-
docere cunctos, atq; laudem
Hac propriam sibi comparare.
At tu mihi sit mens quæ animi vides
Æqualibusq;, ut molliter omnia,
Inhorruit si Fors, parátque
Scæva aliquid sequius, feramus.
Nunc laudibúsne, IGNATI, *Acidalii*
Præconiisq; longiús immorer
Justis, fac ipsus; omnibusq;
Verâ age voce fuisse nostræ
Florem atq; ocellum Teutoniæ unicum
Deprædica : cujûsque modestia
Vivi eruditioq; summa,
Pôst similem vetet invenire.
Sic fiet, ut qui est corpore mortuus,
Amore vivat in memori omnium,
Et nomen ad seros celébre
Perpètuare queat nepotes.

GASPER SCHOPPIUS FR.

DE

VAL. ACIDALII
AD NOBILISS.
DAN. RINDFLEISCH BUCRETIUM

FRustrá es, Acidalium si credis obisse: nesisque
Credere, te tantum credere posse nefas.
Frustrá es: nec tu, nec sinit ille ut ego id qvoqve cre-
BUCRETI ô anima, ô vitáqve Acidalii. (dam,
Vivit enim ille etiamnum qvo tu pectore vivis;
Vivit, & in fibris est super ille tuis.
Vivit is in te animiqve tui interiore medullâ,
Qvâ complexum arté illum artiús usqvé tenes.
Vivit is in teipso, neqve vivere desinet ejusdem
Ingeniiqve acies, judiciiqve vigor,
Et mores placidi, & vitæ jucundior usus,
Atq. adeó ipse in te, ante omnia, tantus amor.
Admirandus amor, qvo te ille reciprocus arsit,
Vix ut huic habeant secla priora parem.
Admirandus amor, cujus vita olim utriusqve,
At nunc vel Musa est testis Acidalii.
Musa ea Acidalii, qvæ, te modó vindice, fati
Legibus exemta æterno in honore cluet.
Musa ea, qvæ artifici frontēqve animúmqve colore
BUCRETI pingit, pingit Acidalii.

Musa ea, quæ vivis tua sacrat nomina fastis,
Ne memori unquam ævo te eximat ulla dies.
Hinc tibi vita perennis, Acidalióque perennis;
Vita tibi é numeris, éque te Acidalio.
O memorabilem amorem! ô amicos! quis ea fata,
Alterius vita ut vita sit alterius.

SIM. GRUNÆUS.

COnstantioris Pirithoum fide
Jactat vetustas, Thesea & inclutum:
Jactat Patroclum & Phthium Achillem:
Et Pyladen & amicum Orestem.
Quos fama dudum nomine nobili,
Omnem per orbem didita, lucidas
Ad usq; sedes, ob fidelem
Tollit amicitiæ tenorem.
Talisq; multis hæret opinio,
Non sanctiori pectora fœdere
Devincta, tot seclis, amicûm
Lampada contuitam esse Phœbi.
Luberet album his addere calculum,
Præsentis ævi si bené cogito
Pellaciam, & vultûs dolosos
Invidiam atq; odium prementes,

Vulpecula

Vulpeculæ instar: ut taceam qvibus
Sanctum est amici nomen amabile,
Dum fervet olla, & spem lucelli
Fors melior socii propinat:
Atroce sortis sed simul invidæ
Adflatur aurâ, deseritur miser,
Et dentibus ridetur albis,
Si qvid opis rogitet Sodalem.
Verùm refutat talem animum mihi
Candor virorum, Deucalion qvibus,
Priscorum ad exemplum, metallo
Nobiliore animum polivit:
Vulgi ut profani degenerem supra
Sensum exserentes purima pectora,
Moresq; perversos ab alto
Despiciant, pedibusq; calcent.
Qvos inter alto vertice promines
BUCRETI, & ingens hoc decus exhibes
Cunctis videndum, Diva qvêis non
Livida dudum hebetavit hirqvos.
Non ingens nunc divitias tui
Deprædicabo versibus entheas,
Natalium non inclutorum
Grande decus, reliqvásve dotes,
Qvêis te videmus cedere nemini.
O Musa possem si ingenuam fidem

Tam

Musa ea, quæ vivis tua sacrat nomina fastis,
Ne memori unqvam ævo te eximat ulla dies.
Hinc tibi vita perennis, Acidalióqve perennis;
Vita tibi é numeris, éqve te Acidalio.
O memorabilem amorem! ô amicos! qvis ea fata,
Alterius vita ut vita sit alterius.

SIM. GRUNÆUS.

COnstantioris Pirithoum fide
Jactat vetustas, Thesea & inclutum:
Jactat Patroclum & Phthium Achillem:
Et Pyladen & amicum Orestem.
Qvos fama dudum nomine nobili,
Omnem per orbem didita, lucidas
Ad usq; sedes, ob fidelem
Tollit amicitiæ tenorem.
Talisq; multis hæret opinio,
Non sanctiori pectora fœdere
Devincta, tot seclis, amicûm
Lampada contuitam esse Phœbi.
Luberet album his addere calculum,
Præsentis ævi si bené cogito
Pellaciam, & vultûs dolosos
Invidiam atq; odium prementes,

Vulpecula

Vulpeculæ instar: ut taceam qvibus
Sanctum est amici nomen amabile,
Dum fervet olla, & spem lucelli
Fors melior socii propinat:
Atroce sortis sed simul invide
Adflatur aurâ, deseritur miser,
Et dentibus ridetur albis,
Si qvid opis rogitet Sodalem.
Verúm refutat talem animum mihi
Candor virorum, Deucalion qvibus,
Priscorum ad exemplum, metallo
Nobiliore animum polivit:
Vulgi ut profani degenerem supra
Sensum exserentes purima pectora,
Moresq; perversos ab alto
Despiciant, pedibusq; calcent.
Qvos inter alto vertice promines
Bucreti, & ingens hoc decus exhibes
Cunctis videndum, Diva qvéis non
Livida dudum hebetavit hirqvos.
Non ingenI nunc divitias tui
Deprædicabo versibus entheas,
Natalium non inclutorum
Grande decus, reliqvásve dotes,
Qvêis te videmus cedere nemini.
O Musa possem si ingenuam fidem

Tam

Tam candida mentis profari,
Dulci inimicitiâ probatam!
Vel quâ VALENTEM, *non violabili*
Complexum amavit fœdere nuperé!
Qvid nuperé? imó quâ VALENTEM
Nec cinefactum adamare cessat.
Sanctumq́ amici ceu fuerat prius
Vitam per omnem nomen amabile;
BUCRETIO *sic dulce & ipsum*
Nomen ACIDALII *est perempti.*
Cujusq́ vivi volta tuerier
Clotho negavit ferrea longius;
Hujus subindé miro amore
Ingenii monumenta volvit.
Volvisse nec sat; sed tenebris quoq́
Præclara amici nunc prohibet mele,
Qvæ Gratiæ, dia & Juventa
Flumine nectareo rigarunt.
Hei tam pusilli pectore quod fluunt
Rivi canentis, defuit & sonus
Balbutientis lingvæ, amicûm
Nobile par celebrare aventis!
LAUBANE *si te nunc sineret gravis*
Moles laborum ludere (ceu soles)
Musarum in umbrâ, barbiton nec
Excuterent tibi Dii Viales:

Ad

Ad astra cœli carmine tolleres
Sublimi amicûm vinnula pectora;
BUCRETII fidemq; nossent
Nomen ACDALII qvé cedri.
Sed qvæ cothurno Cecropio intones;
Thalia succo nostra levi canit:
Majore qvi tam rarum amorem
Munere dum neqveo beare,
Sat sit Tabellam hanc nomine si tuo
Meoq; suspendo in Fidei sacrum:
BUCRETIUS SINCERIORIS
CULTOR AMICITIÆ FIDELIS.

M. DANIEL VECHNERUS.

N*Uper Acidaliâ, BUCRETI, Matre Cupido*
Morte Valentini dixit Acidalii;
Eheu! qvi nos cantet erit, qvi Carmine Svadam,
Adciat, atq; jocis delitias animet!
Hunc suspensa ferat Myrtus sine viribus arcum,
Hic depono faces; signa ministerii.
Obstupuêre sales famuli, mox vela remittunt,
Ac velant taxo Timpora lacrumulis:
Immó sinus Charites simul implevisse qverellis
Commovit gemitus mæstiter Aonidum;

Noster

Noster Acidalius, dum clamant, númne moriri
Debet, qvi nostro vixit in obseqvio ?
Asclepi baculo sed Apolline contremit angvis,
Sibila nec non sub-spiria tot geminans :
Victorem sic Morta necet, sic Navita Cymbam,
Hei num, rettinuit qvam mage, sollicitet ?
Audiit ista Fides tandem, Candorq́, sodales,
Bucreti, vobis qvi satis unanimes;
Vobis dico, Tibi Bucreti clare, fuerunt,
Vobis dico, Tui cordis Acidalio.
Audiit ista Fides, Candorq́, repressit & omnes
Cum gemitu lacrumas, cum lacrumis gemitus.
Cypria qvid Nato, dixit, salibusq́; jocisq́,
Qvid Mors vos Charites angat Acidalii ?
Nec, Musæ, Vobis, nec Phœbo mortuus unqvam,
Creditur is, nunqvam qvi Genio moritur;
Vivit Acidalius, Bucreti Nomine vivit,
Vivit Amicitiâ, Vivit & Ingenio.

LAURENTIUS LUDOVICUS Lig.
P. L. Cæs. Judiciorum Patr.
Advocat. Ordinar.

An

AD EUMDEM

Parodia ad Odam Horat. XXIV. Lib. I.

QUis desiderio sit modus aut qvies
Tam Vatis lepidi? prome reconditos
Luctûs, Terpsichore: cui Clarium Deus
Plectrum cum fidibus tulit.
Ergo ACIDALIUM lethificus sopor
Urget? cui generis Præstes Hiantii
Parnassæus Herus, cui Meditrináqve
Qvando restituent parem?
Cunctis Hic eqvidem lúgubris occidit;
Nulli lugubrior, qvàm Tibi, BÚCRETI:
Tu frustrá pius, heu! non ita conditum
Posces Euryalum Tibi.
Qvod si Pergamio doctior Auspice
Tam carum revocare occiperes caput,
Non lapsó redeat flammula corpori,
Qvod telo semel aspero
Fatum nec precio flexile, nec prece
Dejectum tumulo destinat horrido.
Sed luctum levet hunc ingenium sagax,
Qvo junctus Tibi perpetim.

CASPAR CONRADUS VRATISL.



LECTORI nostro S. Nusqvam esse homines ingeniosiores, qvàm in excusandis suis erratis : unicè sibi inter alia observatum esse toto vitæ suæ tempore ad amicum qvendam magnus ille STURMIUS scriptú reliqvit paulló ante obitum. Ejus sententiæ fidem tibi facere nos qvoq; & volebamus & poteramus; nisi tui essemus qvám nostri studiosiores. Notamus itaq; errata, non excusamus. Qvanqvam ex iis ea duntaxat exhibemus, qvæ perfunctorié qvasi paginas libelli hinc inde versantibus occurrerũt insigniora. Totum enim ordine evolvere Nundinarum Lips. propinqvitas, qvarum causâ festinandum fuit, non admisit. Qvæ igitur notata vides, corrige ut vides: De ceteris qvæ tute advertes, nobis ignosce, & industriam de nostris operis majorem posthac tibi pollicere. Vale.

Pag. 11. *lin.* 11 *lege, motibus*. 15. 11. *dulcacido*. 18. 2. *speclumq;* 20. 15. *vulnera*. 24. 11. *monstrificæ*. 27. 11. *tutator*. 30. 10. *melior*. 42. 7. *incolumi*. 45. 4. *Hesperios*. 48. 11. *Tacite*. 17. *este*. 49. 18. *formidolosâ ne lue*. 51. 22. *scribere*. 55. 12. *certè est*. 56. 9. *coccinata*. 59. 16. *bibit*. 69. 23. *Magnanimo inprimis*. 77. 20. *Sit tibi*. 23. *Intestabilem*. 86. *ult. vanos*. 95. 10. *solatium*. 96. 1. *vis*. 98. 6. *Qvodq;*. 16. *Harpocrates*. 102. 13. *forte*. 118. 13. *sanctus*. 119 24. *plurimus*. 127. *pen. latino*. 148. 17. *At*. 162. 18. *igne*. 167. 5. *halitu*. 175. 21. *illam*. 22. *abire ut*. 205. 2. *propiusq;*. 220. 2. *Indelibatâ*. 232. 4. *farete*. 282. 6. *condecorata*. 277. 2. *qvód*. &c. Pag. 180. *qvod omissum est, ita restituatur:*

AMICO INCOMPARABILI,
AMISSIONE EIUS PERPETUIS TENEBRIS
QVOTIDIANA MISERABILI
EJULATIONE DAMNATUS,

Nicolaus Sartorius Lignicii imprimebat.
MDCIII.



